Confectius in privileg. Mendicant. ibi notabilib. poſitus poſt Bullas Apoſtolic. tit. 13. c. 14. & explicant Sylveſt. eo notabili 3. & ea q. 2. Navar. Manuel Suar. eo num. 29. Azor. eo caſu 16. hoc eſſe verum, etſi eo brevi tempore religioſus ille alias veſtes habitu depoſito induat. Quare optimè Cardin. Clem. 2. in princ. nu. 4. q. 3. de vita, & honeſt. cleric. Roſel. verb. excommunicatio 1. caſu 16. n. 3. Sylveſt. eo notabili 3. & Navar. & Manuel ibidem tradunt religioſum induentem ad breve tempus veſtes virgatas, vel partitas, clericis omnino interdictas, ut feſtum amici celebret, ut nuptias, primùm ſacrum, doctoratum, non involvi hac cenſura. Quare non ſibi conſonat Roſella eodem caſu 26. n. 5. ubi cùm hunc poſteriorem caſum n. 3. admiſiſſet, priorem negat n. 4. dicens eſſe valde periculoſum. Nec audiendus eſt Vandalus in conſtitutionibus fratrum Prædicatorum c. de apoſtaſ. ubi in his caſibus cenſuram hanc incurri affirmant.

56 Sed major eſt difficultas, quando ex cauſa turpi habitus dimittitur eo brevi tempore, ut gratia fornicandi majori voluptate, aut clam aliquid furandi. Et quidem Paludanus, & D. Anton. Manuel n. præced. allegati, cenſent hunc incurrere, quia textus eo c. 2. ſolam temerariam habitus dimiſſionem excommunicat, non diſtinguens, an brevis, diuturnave ſit, atque ſatis temeraria eſt hæc, utpote quæ nulla honeſta cauſa, nec apparenti nititur. At probabiliùs credo, hunc non incurrere, cujus rationem aſſignabo n. ſeq. & ita docent Sylveſt. verbo excommunicatio 9. caſu 24. n. 53. notab. 3. Tabiena Navar. Azor. duplici loco cit. Paſſarel. Suar. n. 27. Sayro nu. 16. Confectius allegati n. præced. quod intelligitur, etiam aſſumpto alio habitu, ut n. ſeq. explicabimus.

57 Adhuc tamen controverſia eſt quid dicendum, ſi eo brevi ſpatio habitus dimittatur cauſa divagandi, aut eundi ad lupanar, ut dimittens incognitus adeat. In quo eventu hunc incurrere teſtatur Sylveſt. eo caſu 24. nu. 53. notab. 3. & n. 54. q. 5. Tabiena, Navarr. Paſſarellus, Sayr. Confectius citati n. præced. Et in hoc caſu explicant Sylveſt. Navarr. & Paſſarell. doctrinam Paludani allegatam ibi: nam etſi generaliter dixerit ibi Paludanus deponentem habitum ad horam ex cauſa turpi incurrere: at exemplum hoc adhibuit, ut ſi cauſa eundi ad lupanar. Idem tenet Bannez dicens eſſe certum apud omnes 2. 2. q. 12. art. 2. ubi de apoſtaſia in religione, dub. 2. concl. 2. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 43. n. 1. in fin. & hoc dicit eſſe probabiliùs Suar. 5. tom. in 3. p. diſp. 23. ſect. 4. nu. 31. Et ratio eſt, quia gravitas hujus delicti non eſt penſanda ex temporis duratione; ſed ipſa habitus dimiſſio eſt per ſe res gravis, & ſufficiens ad peccatum mortale, quod peccatum eſt huic legi contrarium, & materia hujus cenſuræ. Ponitque Sylveſt. diſcrimen inter hunc caſum, & tactum n. præced. quod in illo dimittat religioſus habitum in ordine ad ſe ipſum, nempè, ut majori voluptate peccet: in hoc autem dimittat in ordine ad alios, nimirum, ut incognitus vagetur. Cæterum, quamvis hæc ſententia ſit ſatis probabilis, probabiliorem tamen credo, hunc non incurrere, etſi habitum alium ad ſic ſe occultandum, eo brevi ſpatio aſſumat: in hoc enim caſu procedit tota hæc difficultas; nam ubi nullus habitus alius aſſumatur, jam diximus nu. 51. per nullam dimiſſionem incurri hanc cenſuram. Ducor, quia ad hanc cenſuram incurrendam deſideratur moralis dimiſſio, nec ſufficit quæcumque habitus ſpoliatio, ut nu. 49. probavimus. At dimiſſio tam momentanea non dicitur moralis dimiſſio, ut habetur ex l. divortium ff. de divortio. Et confirmatur, quia ipſemet Sylv. eo caſu 24. nu. 53. notab. 3. in fin. & Paſſarellus eod. c. 34. fatentur opus eſſe ad hanc cenſuram dimitti habitum aſſumpto alio ad uſum; at habitus alienus ad tam breve ſpatium aſſumptus, ſtatimque deponendus, non dicitur moraliter aſſumptus ad uſum. Tandem, quia etſi dimiſſio illa momentanea ex malitia alterius ſpeciei illi adjuncta ſit gravis; at in ratione dimiſſionis temerariæ, quæ ſola ſubjicitur huic cenſuræ, cenſetur levis, nec nomine dimiſſionis moraliter loquendo, ſed cujuſdam ſpoliationis digna. Et ideo hanc ſententiam clarè ſenſit eſſe probabilem Suarez eo n. 31. cùm contrariam ſolùm probabiliorem appellarit: & hujus ſententiæ eſt clarè Toledo lib. 4. ſum. c. 18. n. 3. ubi ait, deferentem habitum religionis multo tempore, excommunicari; & Emmanuel Sa ſum. verb. excommunicatio, ubi de non reſervatis, n. 9. ubi abſolutè docet, non incurri hanc cenſuram ob alterius habitus brevi tempore aſſumptionem; & clariùs Azor. lib. 12. inſtit. moral. c. 13. q. 5. caſu 16. verſ. is igitur, ubi ait ob tam brevem habitus dimiſſionem in monaſterio, vel extra, etiam ad ſcelus perpetrandum, non eſſe locum huic cenſuræ.

58 Hinc deducitur, quid ſentiendum de dimittente habitum, ne deprehenſus in ſcelere perpetrando cognoſcatur. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 6. paulò poſt principium, & Sylv. verb. habitus, q. 2. affirmant, hunc non evadere hanc excommunicationem. Sed ut id verum ſit, intelligendum eſt juxta dicta n. præced. quando dimiſſio habitus, & alterius aſſumptio, non ſunt ad breve tempus.

59 Tertia difficultas eſt, an hæc habitus dimiſſio, ut huic excommunicationi locus ſit, debeat comitari temeraria vagatione, & extra monaſterium neceſſariò eſſe debeat. Calcaneus conſ. 123. ad 1. quod ſit excommunicatus, n. 7. affirmat, exigi religioſum fugitivum eſſe vagando abſque ſuperioris licentia, & habitu dimiſſo, quod eo c. 2. ratio excommunicationis reddatur ne vagandi religioſis anſa detur. Alii dicunt non ſubdi huic cenſuræ dimiſſionem habitus intra privatos monaſterii parietes, ſed quando extra illos eſt; quia eo c. 2. excommunicantur dimittentes habitum in ſcholis, vel alibi. At ſi textus non intelligeret alibi, quàm intra monaſterium, ſufficienter id explicaret dicendo, qui alibi, vel in quovis loco. Item quia redditur ratio, ut religioſis materia vagandi ſubtrahatur. Ita docet Angel. verbo excommunicatio 7. caſu 27. in initio, & hanc partem dicit Roſella, verb. excommunicatio 1. caſu 16. n. 5. eſſe poſt factum amplectendam; at ante factum contrariam tamquam veriorem.

60 Sit tamen prima concluſio. Non eſt opus ad hanc excommunicationem, ut religioſus recedat abſque ſuperioris licentia, habitumque deponat; ſed quantumcumque obtenta licentia abeat, incurret deponendo habitum. Ratio eſt, quia textus d. c. 2. non petit monachi evagationem, ſed ſolam habitus dimiſſionem aptam ad occaſionem divagandi præſtandam, qualis eſt hæc. Et ita docent Probus addit. ad Monach. eo c. 2. in fin. Roſell. verbo excommunicatio 1. caſu 16. n. 5. Sylveſt. verbo excommunicatio 9. caſu 25. in initio n. 55. Tabiena verbo excommunicatio 5. caſu 23. q. 3. n. 4. Ledeſma 2. p. 4. qu. 26. art. 2. inter excommunicationes nulli reſervatas; caſu 25. Sayr. de cenſuris, lib. 3. c. 33. n. 19.

61 Secunda concluſio. Satis eſt, ſi intra privatos monaſterii parietes religioſus habitum temerè deponat, ut huic excommunicationi ſubdatur; quia textus ſolam habitus dimiſſionem petit, & verba illa, in ſcholis, vel alibi, generalia ſunt: & quamvis actu non vagetur religioſus ille, ea tamen dimiſſio affert vagandi poteſtatem, quam textus ea pœna interdixit. Et ita docent Probus n. præced. allegatus Sylv. verb. excommunicatio 9. caſu 24. n. 54. q. 5. in fin. & n. 53. notabil. 3. Tabiena verbo excommunicatio 5. caſu 23. qu. 1. nu. 2. Navarr. ſum. c. 27. n. 131. Sayr. eo c. 33. nu. 11. Azor. lib. 12. inſtit. moral. c. 17. q. 15. qui addit præſertim hoc eſſe verùm, quando in monaſterio habitu exutus, alioque aſſumpto, oculis ſæcularium patet, aut ſe illis objicit, quaſi ſentiat idem eſſe hoc non ſequuto; & id clarè ſentit ibi q. 14. dicens, incurrere deponentem habitum, etſi ſuam perſonam celet. At contrarium ſuſtinet Roſel. verbo excommunicatio 1. caſu 16. n. 5. Sylv. Tabien. & Sayr. proximè allegati, dicentes exigi, ut ſic ſe laicorum oculis exhibeat. Et ejuſdem ſententiæ videntur Joan. Andr. eo c. 2. n. 4. & ibi Anchar. n. 1. Probus ibi addit. ad Monachum n. 7. in fin. & ibi Dominic. in princip. n. 9. Francus in princip. nu. 5. Franciſ. Platea de excommunicat. §. 9. in fin. habetur tom. 14. tractatuum D. Anton. 3. par. tit. 24. c. 53. Manuel qq. regular. tom. 2. q. 76. art. 6. ubi dicunt, religioſum tunc incurrere, quando in alio habitu ſe laicorum conſpectibus offert. Et quidam, quos tacito nomine refert Azor ea qu. 13. dicunt non incurrere, ſive intra monaſterium, ſive extra habitum dimittat, occultando tamen ſuam perſonam, quia tunc non dimittit, ut liberiùs vagetur. At pro contraria ſententia fortiter urget, quod aliàs non incurreret, ſi religioſus ille in carcere monaſterii diu incluſus, & cum nullis ſæcularibus converſans, nec illis patens habitum ſæcularem geſtaret; vel non incluſus, ſed in monaſterio cavens ſæcularium aſpectum. Cùm tamen Cajetanus verbo excommunicatio c. 61. & Sayr. eo c. 33. n. 14. tamquam quid ſpeciale doceant, dimittentem habitum ad horam, vel etiam tota die ex levitate quadam, & domeſticè manendo, non incurrere. Præterea, quia quantumvis religioſus ille ſæcularium aſpectum fugiat, ac ſe occultet, ipſo tamen facto liberam habet evagandi poteſtatem, quam textus ſub illa excommunicatione auferre voluit; & ideo hæc ſententia plus mihi placet.

62 Quarta difficultas eſt, an retinens habitum ſuæ religionis, ita alio occultans abſque juſta cauſa, ut exteriùs nullo modo appareat, incurrat hanc excommunicationem? Quidam negant incurrere. Ducuntur, quod lex pœnalis ultra verborum proprietatem extendenda non ſit, & maximè hæc, quæ ſecundùm totam verborum proprietatem accipienda eſt, ut probavimus nu. 40. At occultare omninò habitum non eſt propriè, & in rigore dimittere, nec valet in materia pœnali argumentum a rationis paritate. Nec in hac cenſura eſt prohibita omnis occaſio vagandi, ſed ea, quæ eſt per habitus dimiſſionem. Item, quia ſi religioſus aliis modis occultè incedat, ut in tenebris, aut intra currum, vel velata facie, eſt ſufficiens vagandi anſa, cùm tamen luce ipſa clariùs ſit, hunc non incurrere. Præterea, quia non eſt eadem ratio in habitus occultatione, & depoſitione, ut conſtat ex Gloſ. c. Deus qui in fin. de vita, & honeſt. clericor. ubi ait religioſos non delaturos habitum ſuæ religionis exterius, ſed tantum interius, quando ex delatione externa ſcandalum conſurgeret. Et ideo hanc partem ſuſtinent Joan. de Ligna & Zenzelinus Clem. 2. de vita, & honeſt. clericor. quos refert, & ſequitur Abbas eo c. Deus qui n. ult. Paludanus 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. nu. 41. Claudius repetit. l. ut vim num. 99. ff. de juſtit. & jure, Tabiena verb. excommunicatio 5. caſu 23. q. 1. nu. 2. Sayro de cenſur. lib. 3. c. 33. nu. 9. & 10. Suarez 5. tom. in 3. partem, diſput. 23. ſect. 4. n. 33. & 34. & cogitandum id relinquit dubius de hac re Francus reg. fin. nu. 4. de regul. juris in 6. Et hanc ſententiam dicunt poſſe ſuſtineri poſt factum, quamvis ante factum contraria tenenda ſit, Roſell. verbo apoſtaſia, num. 8. & verbo excommunicatio 1. caſu 16. num. 2. Angel. verbo excommunicatio 7. caſu 27. num. 1.

63 Verum; quamvis hæc ſententia ſit ſatis probabilis,

non eſt recedendum à frequentiſſima ſententia dicente, hunc eſſe comprehenſum ſub hac excommunicatione. Ducor, quia quo ad effectum hujus excommunicationis incurrendæ, idem eſt habitum proprium dimittere, & illum ita occultare, ſuper induendo alium, ut nequeat quis cognoſci, tamquam religioſus talis ordinis, quod ita tegens, etſi non dimittat materialiter, at eum dimittit formaliter, id eſt, in ordine ad videntium notitiam; quem dimiſſionis modum voluit im primis Pontifex prohibere ſub illa excommunicatione, ut conſtat ex fine, quem ſibi propoſuit in illius textus prooemio ibi: ut periculoſa vagandi occaſio religioſis ſubtrahatur. Et confirmatur quia c. nonnulis, de Judæis, jubentur Judæi inter Chriſtianos commorantes ſub certa pœna ſignum quoddam geſtare, quò a Chriſtianis ſecernantur. At fatentur ibi DD. eidem pœnæ eos ſubjici, ſi portent id ſignum ita opertum, ut non appareat, eo quod finis legis id jubentis fruſtraretur, & quo ad eum finem idem ſit, non geſtare, & eo modo geſtare, ut non appareat; ſic occultato ſigno non diſtinguentur Judæi à Chriſtianis, qui finis hujus legis fuit. Cùm ergo ſimiliter finis canonis excommunicantis religioſum dimittentem habitum, fuerit, ut religioſus ex habitu cognitus vagari nequeat, idem prorſus erit, illum non geſtare, ac ita operire, ut prorſus non cognoſcatur religioſus. Secundò, quia ubicumque eſt diſpoſitio pœnalis poſſet facilè eludi, extenſione non facta: at in pœnalibus permittitur extenſio, ut conſtat ex cap. quam, in fine, communiter per DD. recepta, de uſuris, in 6. ubi conſtitutio pœnalis irritans uſurarii teſtamentum extenditur ad codicillos, & donationem cauſa mortis, ne canon ille ad teſtamenta reſtrictus eludatur: & Clement. 1. de ſepultur. excommunicantur ſepelientes tempore interdicti in cæmeteriis; & tamen extenditur ad ſepelientes in Eccleſiis, ne facilè conſtitutio illa eludatur. Neque hæc extenſio eſt, ſed tacita incluſio, ut docet Gloſſ. communiter recepta cap. 1. verbo Italia, de temporib. ordinand. in 6. Tertiò, quia qui ſolus verbis legis contentus ejus mentem offendit, non evadit illius pœnas, leg. non dubium C. de legibus, leg. fraus, & leg. contra legem, ff. eodem tit. regul. fin. de regul. jurjur. in 6. At religioſus habitum omnino operiens ſola canonis verba jubentis habitum geſtare amplectitur, & manifeſtè ejus mentem offendit, ac manifeſtè tranſgreditur, quæ eſt, ut ex habitu cognitus vagari non poſſit: ergo incurrit ejus excommunicationem. Et ex his patet ſolutio ad contraria; quamvis enim ea habitus celatio non ſit propriè materialiter loquendo habitus depoſitio, eſt tamen talis propriiſſimè, ſi formaliter attenta canonis mente loquamur. Quod ſi adhuc perſiſtatur, intendendo aliquo modo à proprietate verborum recedi, & ſic extendi legem pœnalem; id non obſtat, ejus enim extenſio permittitur, ne facilè ejus mens eludatur. Et hujus ſententiæ ſunt apertè omnes DD. quos num. 5. retulimus vocantes hunc religioſum apoſtatam: talem enim appellant, eo quod exiſtimant talem habitus occultationem æquiparari omninò ejus dimiſſioni, quo ad pœnas dimittentis habitum incurrendas. Et in propriis terminis hanc ſententiam ſuſtinent Oldrad. conſilio 184. nu. 12. & ſequentib. Joan. Andr. c. 2. Deus qui. n. 2. de vita, & honeſt. cleric. & ibi Anton. n. 3. Cardin. n. 1. q. 1. Anchar. n. 4. notab. 4. Imola n. 2. Idem Imola dicens ſic determinatum Bononiæ, Clement. 2. num. 31. de vita, & honeſtate clericor. & Clement. 1. num. 17. de ſtatu monachorum, Francus c. 2. in princip. n. 2. ne clerici, vel monachi in 6. & ibi Probus addition. 16. Monachum à n. 8. uſque in fin. Anan. rubr. de apoſtat. n. 3. & c. fin. in fin. eod. tit. Calcan. conſ. 123. verſ. ad 1. quod ſi excommunicatus n. 6. Franciſcus Platea, allegato Mayrone, tractatu de excommunicat. §. 9. numero 2. habetur tomo 14. tractatuum Villagut. tract. de cenſur. quæſt. 35. n. 45. Rebuff. prax. beneficiorum tit. de diſpenſat. cum regularibus num. 43. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 6. paulò poſt princip. Sylveſt. verbo, excommunicatio 9. caſu 24. num. 53. quæſt. 4. Cajetanus ſumm. verb. excommunicatio c. 61. & ibi Armilla caſu 35. n. unico Navarr. ſumm. c. 27. Latin. 131. Hiſpan. num. 132. Mandoſ. dicens ſic per Rotam deciſum eſſe, in ſignatura gratiæ verbo, licentia, verſ. qui licentia non obtenta, Ant. Cuccus lib. 3. inſtit. major. tit. 1. num. 157. Julius Clarus lib. 5. recept. §. fin. in practica crimin. q. 76. nu. 16. Paſſarell. in privileg. Minimor. cap. 34. in fine Bannez 2. 2. diſp. 1. quæſt. 12. puncto 1. in fine, Manuel qq. regular. tom. 1. quæſt. 30. art. 2. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 13. q. 5. caſu 16. & c. 17. quæſt. 10. Manuel qq. regul. tomo 2. quæſt. 76. art. 6. notab. 2. Menald. conſ. 126. n. 2. vol. 28. Maſcard. concluſione 112. à num. 1. uſque ad 9. Quæ quidem ſententia temperanda eſt, ut intelligatur, quando religioſus ille ita habitum occultat, ut à circumſtantibus, vel prætereuntibus, ſi propius accedat, cerni queat, & ex illo cognoſci, cujus ordinis religioſus ille ſit: ſecus, quando ab his cognoſci, & videri poteſt, quamvis ab aliis tranſeuntibus, qui non ita proximè accedunt, nec videri, nec cognoſci valeat; quod in hoc eventu, nec materialiter, nec formaliter habitum omninò dimittat, ſed tantùm aliquo modo, & ſecundùm quid. Et ita docent Cajet. Armil. Nav. Paſſarel. Manuel, Banez, Azor. utroque loco.

64 Hinc deducitur, hancquoque excommunicationem incurrere profeſſum; qui, cum diſtinctus ac peculiaris ſit habitus porofeſſorum ab habitu novitiorum, ita cooperit habitu profeſſorum habitum novitiorum ſuperinduto, ut nullo modo tamquam profeſſus cognoſci valeat propterea quàm tradidimus n. 53.

65 Quinta difficultas eſt, an qui ſuæ religionis habitu depoſito alterius religionis amictum aſſumit, excommunicationem hanc contrahant; Et quidem, quando ita aſſumit, ut illam non ingrediatur, incurreret quidem, quia ex ea dimiſſione datur ſufficiens vagandi cauſa, eo quod, etſi ratione habitus religioſus ille cognoſci, ac capi poſſit, at facillimo negotio ſe eximet, variaque poterit probando ſe illius ordinis, quem habitus indicat, religioſum non eſſe; ac proinde ſolum cogetur habitum deponere relicta ſibi vagandi facultate. Atque ita fatetur D. Anton. 3. par. tit. 24. c. 53. Roſell. verbo, excommunic. 1. caſu 16. n. 5. Cajet. Armil. Sayr. Paſſarell. n. 68. allegandi; Bannez 2. 2. q. 12. art. 1. ubi de apoſtaſia à religione, poſt 2. concl. corol. 2. Manuel. qq. regul. tom. 2. q. 76. art. 2. notab. 2. Confectius eo tit. 13. c. 15. Idque verum habet, quamvis ſuæ religionis habitum dimittat, ut citiùs in aliam admittatur, ut docent D. Anton. Roſel. Paſſarel. ibid. Et ratio eſt, quia verè datur materia vagandi, dum ad aliam religionem non tranſit: quamvis Tabien. verb. excom. 5. caſu 23. q. 2. n. 3. hoc non approbet.

66 Sed quid, ſi hujuſmodi habitus alterius religionis aſſumptio ſit ad tempus de licentia Prælati alterius religionis, ut illi religioni obſequium aliquo tempore præſtetur, concionando, vel docendo? Bannez eod. art. 1. Rub. 2. poſt 2. concl. in primo caſu, quem ibi diſputat, ait, hunc non eſſe excommunicatum, quod id non fiat temerè, ſed juſta ex cauſa ſubveniendi illi religioni. At hoc ita univerſaliter dictum non placet, ſed ſolum, quando gravis neceſſitas alterius religionis, & lex charitatis id ſuadent, nec commodè id obſequium præſtari poteſt retento propriæ religionis habitu: quoniam, ſecluſis his circumſtantiis, temeraria eſt dimiſſio, præponderatque propria habitus retentio ſubſidio illius neceſſitatis non ita urgentis. Et ita docet Azor. tom. 1. lib. 12. inſtit. moral. c. 17. q. 14.

67 Potiſſima autem difficultas eſt, quando aſſumitur habitus alterius ad illam tranſeundo contra jura. Qua in re duplex eſt ſententia. Prior affirmat, hunc incurrere, quia textus c. 2. ne clerici, vel monachi, in 6. non qualitercumque dimittentes habitum religionis excommunicat, ſed dimittentes habitum religionis ſuæ: ac hic re vera deponit habitum religionis ſuæ; nam adhuc poſt ingreſſum in poſteriorem religionem, prior religio verè ſua eſt jure, & obligatione, quamvis intentione, & voluntate tranſeuntis jam ſua non ſit: quod prorſus abs re eſt, & ea dimiſſio temeraria eſt, cum graviſſimum peccatum ſit hic tranſitus. Ideo hujus ſententiæ clarè ſunt DD. quos nu. 7. allegavimus, dicentes hunc eſſe apoſtatam; & expreſsè, & in propriis terminis hanc ſuſtinent, Sylveſt. verbo excommunicatio 7. caſu 24. num. 54. in ſine, & verbo religio 4. q. 4. Navarr. ſumm. c. 27. Hiſpan. num. 132. Latin. num. 131. Azor. lib. 12. inſtit. moral. cap. 13. q. 3. caſu 16. verſ. quæres, & c. 14. q. 10. & c. 17. q. 11. Suar. 5. tomo in 3. p. diſput. 23. ſect. 4. num. 32. & hæc ſententia valde probabilius eſt.

68 Poſterior ſententia, cui tamquam probabiliori accedo, aſſerit hunc non incurrere. Et quamvis variæ rationes à DD. tradantur: at hæc unica eſt, quæ vim aliquam habet, nempe, quia textus eo c. 2. eam habitus dimiſſionem excommunicationi ſubjicit, quæ attentis circumſtantiis apta eſt ad periculosè vagandum, ut probavimus, n. 38. Sed hujuſmodi dimiſſio non eſt talis, cum tranſeundo ad aliam religionem, ejuſque habitum aſſumendo, non detur anſa vagandi, nec, ut evagetur, habitum aſſumat. Nec ſufficit, ſi dicas eum tranſire ad laxiorem religionem, ubi licentius vivet, quia ſatis eſt, ut in religione ſit abſque vagationis periculo. Et ideo hujus ſententiæ ſunt DD. quos num. 8. allegavimus, dicentes hunc non eſſe apoſtatam; & in propriis terminis docent Lapus allegat. 33. aliàs 34. num. unico, Abbas c. ſanè, n. 6. de regularib. Franc. c. 2. in princip. n. 6. ne clerici, vel monachi in 6. & ibi Dominic. §. fin. n. ult. Roman. conſ. 341. circa 1. n. 1. Rebuff. prax. beneficiorum tit. de tranſlat. monachorum n. 11. & tit. d. diſpenſat. cum regularibus n. 46. Anan. c. fin. n. 3. de apoſtatis Roſell. verbo, apoſtaſia n. 6. Angel. verbo, religioſus n. 36. & verbo excommunicatio, 7. caſu 27. nu. 2. Tabiena verbo, excommunicatio 5. caſu 27. q. 2. n. 3. Armil. verbo excommunicatio caſu 53. num. unico, Cajetan. ſumm. verb. excommunicatio c. 61. Paſſarell. in privilegiis Minorum c. 34. Arag. 2. 2. qu. 12. art. 1. in dubio, quod diſputat de apoſtaſia à Religione, Leonard. lib. 2. de juſtitia c. 41. dub. 13. n. 101. Sayro de cenſuris, lib. 3. c. 38. nu. 17. Manuel Rodrig. qq. regul. tomo 2. qu. 76. art. 4. notabili 2. & dicit eſse valdè probabilem Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 13. q. 5. caſu 16. verſ. quæres, & c. 17. q. 11. & eam tenet ibi q. 12. Aliquando tamen incurret excommunicationem juxta varia religionis priuilegia, vel ſi tranſeat ex non mendicantibus ad mendicantes, per extrauag. Viam, de regularibus de qua re ſatis egimus c. præcedenti.

69 Sexta difficultas eſt, an religioſus, cui neceſſarium eſt noctu aliquò extra monaſterium petere, & gratia vitandi ſcandalum, ac ſuſpicionem malam, aſſumit habitum ſæcularem, incurrat hanc excommunicationem? Bannez 2. 2. q. 12. art. 1. ubi de apoſtaſia à religione, dubio 2. poſt. 2. concluſionem, in ſecundo caſu, quem ibi diſputat, reſpondet, ſi penſatis omnibus circumſtantiis illa dimiſſio excuſatur à mortali, excuſari quoque eam ab excommunicatione, ut ſi nullum ſequatur ſcandalum inter domeſticos utriuſque domus: at ſi ſit mortalis dimiſſio, incurrere excommunicationem. Cui addo, hoc intelligendum, ſi in ra-

in ratione dimiſſionis ſit mortale, juxta ea quæ *n.* 57. tradidimus.

70 Septima difficultas eſt, an religioſi Societatis JESU habitu dimiſſo induentes ſæcularem ligentur hac excommunicatione *dicti c.* 2. Et breviter reſpondeo, hac non ligari; quia textus loquitur de profeſſis dimittentibus habitum religionis ſuæ, & ſic ſupponit peculiarem habitum habere religionem illam, quo a cæteris diſcernatur. At Societas JESU caret habitu peculiari, ac proprio, & utitur habitu communi accommodato uſui patriæ, ut habetur in ejus conſtitutionibus, *p.* 6. *c.* 2. §. 15.

71 Ultima difficultas eſt, an incurrat religioſus creatus Epiſcopus, Cardinalis, aut Prælatus habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in aliqua diœceſi, aut parochus, ſi habitum deponat? Sed de hoc ſatis *hoc lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 23. 34. 35. 36.

SUMMARIUM.

Quæ conditiones petantur, ut religioſus adiens ſtudia abſque licentia, incurrat excommunicationem c. 2. ne clerici, vel monachi, in 6. & an exigatur habitum deponi? n. 72.

Quid ſi ſtudia ſint aliàs permiſſa, ut canonum, & Theologiæ? n. 73.

An ſub hac excommunicatione claudantur religioſi Societatis JESU, qui poſt vota biennii, vel poſt profeſſionem adeunt ſtudia abſque legitima licentia? n. 74.

Quid ſi religioſus adeat alium conventum, in quo ſunt ſtudia, cauſa ſtudendi, abſque prædicta licentia, vel ex quo adeat ſtudia extra illum conventum ſita? n. 75.

Quid ſi religioſus abſque prædicta licentia adeat ſtudia ejuſdem oppidi? n. 76.

Quid in religionibus, in quibus licentia mittendi aliò ad habitandum extra monaſterium, non pendet ab immediato conventus Prælato; & an eam facultatem augeat hic textus concedens illis hanc facultatem, & an loquatur textus de ſolo immediato Prælato? n. 77.

An quoties licentia eſt nulla defectu poteſtatis in concedente, aut quia dolo, & metu eſt impetrata, aut ex quacumque alia cauſa, vel abſque ulla licentia adit religioſus ſtudia, incurratur hæc cenſura? refertur quædam ſententia, n. 78.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 79.

Quid intelligat textus per illam diſiunctionem, dum petit adhiberi conſilium conventus, vel majoris tantum partis? n. 80.

An ſufficiat adhiberi conſilium conventus, id non ſequendo, an potius requiratur conſenſus? refertur quædam ſententia, n. 81.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 82.

An Priores, qui ſunt extra conventum, poſſint adire ſtudia ex ſola Prælati licentia? n. 83.

An Prælatus Monaſterii adiens ſtudia abſque ſui ſuperioris licentia, incurrat hanc cenſuram? refertur, quædam ſententia, n. 84.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 85.

An Epiſcopus poſſit dare hanc licentiam religioſis non exemptis? refertur quædam ſententia, n. 86.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 87.

An non ſolum Prælatus, ſed ejus vices tenens poſſit? n. 88.

Poſtea invenies alia ſummaria,

72 SEcunda excommunicatio contenta *in c.* 2. *ne clerici, vel monachi in* 6. eſt contra profeſſos accedentes ad quævis ſtudia, niſi a ſuo Prælato cum conſilio conventus, vel majoris partis ejuſdem licentia primitus obtenta; quæ excommunicatio triplicem petit conditionem, ut incurratur. Prima eſt, ut ſit religioſus profeſſus. Secunda, ut accedat ad quævis litterarum ſtudia. Tertia, ut is acceſſus ſit abſque licentia Prælati, cum conſilio conventus, vel majoris partis; quæ omnes ex ipſo contextu conſtant. Quartam conditionem addit *Armilla verbo excommunicatio*, *caſu* 53. *fin.* nempè, ut religioſus ille abeat, habitu dimiſſo; & refert pro ſe *Cajet. in ſumm. eodem verb. c.* 6 Sed hoc non eſt verum, quia textus eam conditionem non petit in hac excommunicatione, ſed in prima excommunicatione ibi inflicta, de qua hucuſque egimus; & in tertia, de qua agemus a *n.* 89. & in ea tertia excommunicatione loquitur *Cajetanus*; quare falsò allegatur. Et ideo incurrere hunc religioſum, etſi habitum non deponat, docent *Anchar. eo c.* 2. *in fine*, *& ibi Francus* §. *DD. n. unic. verſ. in ea Gloſs. in fine.*

73 Nec requiritur, ut ſtudia ſint aliàs prohibita; ſed incurret religioſus abiens ad ſtudia aliàs permiſſa, ut canonum, & Theologiæ, abſque prædicta licentia, quia textus expreſsè dicit, *ad quævis ſtudia*. Atque ita docent *Archidiac. eod. c.* 2. *n.* 2. *Anchar. n.* 1. *Joan. Andr. ſtatim in principio*, *Dominic. in principio*, *n.* 7. *Francus in principio*, *n.* 3. *D. Antonin.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 53. *Roſell. verbo excommunicatio* 1. *caſu* 16. *n.* 5. *Sylveſt. verbo excommunicatio* 9. *caſu* 25. *n.* 55. *initio*, *Cajet. ſum. verbo excommunicatio c.* 61. *Navarr. ſum. c.* 27. *n.* 133. & omnes allegandi.

74 Ex prima conditione videtur deduci, non incurrere hanc excommunicationem religioſum Societatis JESU, qui poſt vota biennii, quibus novitius eſſe deſinit, ſitque verus religioſus, abſque legitima licentia adit ſtudia, quia non eſt profeſſus. Immo videtur nec incurrere profeſſus ſic adiens, quia in Societate JESU non eſt congregatio aliqua conventus, & in nullo caſu ejus conſilium petitur, nec ad id congregatur. At exiſtimo utrumque incurrere. Ducor, quia mens illius textus fuit excommunicare religioſos veros, qui abſque licentia recedere a conventu nequeunt, ut conſtat ex proœmio, ibi; *ut periculoſa religioſis evagandi materia ſubtrahatur*. Quare dum poſtea ſolos profeſſos excommunicat, intelligit nomine profeſſorum eos, qui verè, & propriè religioſi ſunt, ad excludendos novitios, qui tales non ſunt, explicuit, *aut expreſsè, vel tacitè profeſſos*, quia tunc nulla vera religio erat, a Sede Apoſtolica cum ſolis votis ſimplicibus approbata. Non obſtat etiam alia ratio, quia ei ſatisfiet ex iis, quæ *n.* 77. dicemus,

75 Secundò deducitur ex ſecunda conditione, non loqui eum textum, ſi religioſus locum alium adeat, ubi ſunt intra ſuæ religionis clauſtrum ſtudia; tunc enim non exigitur licentia, niſi proprii ſuperioris inconſulto conventu, etſi eo ſtudendi cauſa petat: hoc enim eſt potius mutatio Cœnobii, quam ad ſtudium litterarum profectio. Quare textus intelligitur de adeunte ſtudia, quæ extra ſuæ religionis clauſtrum ſunt, quia tunc eſt profectio ad ſtudium. Atque ita docent *Joan. Andr. Anchar. Dominic. Sylv. Cajetanus*, *Navarrus* allegati *n.* 73. *Angel. verbo excommunicatio* 7. *caſu* 27. *n.* 3. *Tabien. verbo excommunicatio* 7. *caſu* 27. *n.* 3. *Tabien. verbo excommunicatio* 5. *caſu* 23. *initio*, *Ledeſm.* 2. *p.* 4. *q.* 26. *art.* 2. in excommunicationibus non reſervatis, *caſu* 25. *Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c.* 13. *q.* 5. *caſu* 16. *verſ. de altera excommunicatione*, *Suar.* 4. *tomo in* 3. *p. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 35. *Sayro de cenſur. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 21. Atque idem dicendum eſt, ſi adeat religioſus alium ſuæ religionis conventum, ex eo aditurus ſtudia, quæ extra conventum ſunt; quia tunc immediate non datur licentia eundi ad ſtudium, ſed ad alium conventum: quamvis miſſionis finis ſit ſtudium. Et ita textus intelligitur, quando datur licentia eundi ad ſtudia extra clauſtrum exiſtentia, extra illud manendo, quia tunc propriè eſt acceſſus ad ſtudia. Ita docent *Ledeſma*, *& Suarez ibidem*. At dubium reſtat, an ſi in utroque caſu religioſus ille abſque licentia ſui ſuperioris adeat alium ſuæ religionis conventum cauſa ſtudendi in ſtudiis intra, vel extra manſurus tamen in conventu, incurrat hanc cenſuram? quia DD. prædicti id non ſatis explicant; & clarè explicant multi ex illis non eſſe neceſſariam prædictam licentiam Prælati cum conſilio conventus, ſed ſat eſſe ſolius Prælati in his caſibus. Sic loquitur *Cajetanus*, quem reliqui moderniores citati ſequuntur; & licet alii antiquiores allegati hoc non explicent, ſed dicant, eum textum procedere in profectione ad ſtudia extra clauſtrum conſtituta: at cum textus excommunicationem infligat, & petat licentiam eundi ad ſtudia obtineri a Prælato cum conſilio conventus, poſſunt intelligi, ut tum ad petendum hoc conventus conſilium, non habeat locum deciſio illius textus, ut reliqui auctores moderniores loquuntur; etſi res hæc maneat anceps, quando nulla licentia petita religioſus ille abiret. Sed exiſtimo mentem horum DD. eſſe, hunc non incurrere. Ducor, quia DD. antiqui allegati abſolutè docent, textum intelligi de ſtudiis extra clauſtrum ſitis, & non eſt, cur eorum ſententia arctetur, ut intelligant ſolùm de non neceſſaria conſilii conventus petitione: & licèt alii DD. de hac ſola loquantur; at eorum ratio probat apertè hunc non incurrere, quia textus petit accedere ad ſtudia ſine licentia, ut excommunicationi illi ſit locus. Quæ verba, tamquam in materia pœnali, & petente acceſſum temerarium, ſunt in tota ſua proprietate intelligenda (ut diximus *num.* 40.) Cùm ergo prædicti DD. eam ſuæ doctrinæ rationem aſſignent, quod profectio hæc non ſit propriè ad ſtudia, ſed ad alium conventum, ſequitur, proficiſcentem abſque licentia non incurrere, quod ejus actio non dicatur propriè profectio ſubjecta excommunicationi in illo textu ſtatutæ.

76 Sed quid ſi religioſus adeat ſtudia ejuſdem loci, in quo commoratur, & maneat extra clauſtrum? *Palud.* 4. *diſt.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *n.* 42. dicit non eſſe neceſſarium conventus conſilium, quando ad ſcholas ejuſdem oppidi eundum eſt; ſed textum loqui de ſcholis alibi ſitis. Et idem docet *Sayr. de cenſur. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 20. ſed neuter explicat, ſi id habeat verum, etſi religioſus debeat manere extra clauſtrum, nec an incurrat, ſi nulla licentia petita vadat. Verum ex eorum doctrina id colligitur, ut, quod attinet ad ejus textus deciſionem, non ſit neceſſarium conventus conſilium, etſi aliunde poſſit neceſſarium eſſe, nec incurratur excommunicatio ex aditu abſque ulla licentia, cùm dicant, textum loqui de ſcholis extra id oppidum ſitis. Et fundamentum eorum dicunt eſſe, quamvis id non explicent, quod non dicatur acceſſus ad ſtudia. Et ita credo hunc non incurrere, quia textus videtur expreſsè loqui de profectione alio cauſa ſtudendi.

77 Nec deciſio hujus textus procedit in his religionibus, in quibus licentia proficiſcendi ad habitandum extra clauſtrum non pendet ab immediato conventus Prælato, ſed a ſola Provincialis, vel Generalis facultate; tunc enim adiens ſtudia ex ſola hujus ſuperioris facultate, inconſulto conventu, non incurret, quia textus ille *eo c.* 2. de ſolo immediato conventus Prælato loquitur, ut benè docent *Archidiac. ibi num.* 5. *Joan. Andr. num.* 2. *in fine*, *Anchar. num.* 2. *notab.* 2. *Dominic. ibi in princip. num.* 8. *&* 9. *Franc. in princip. num.* 3. *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 24. *cap.* 53. *Roſell. verbo excommunicatio* 1. *caſu* 16. *num. ult. Tabien. verbo excommunicatio* 5. *caſu* 23. *qu.* 5. *num.* 6. & conſtat ex illis verbis textus; *niſi à ſuo Prælato*, *cum conſilio ſui conventus*. Nam Generalis, aut provincialis, non dicitur propriè habere conventum; ac proinde ſolam ejus poteſtatem, ut indigeat ad hanc licentiam concedendam conſilio conventus, reſtringit. Item, quia ſolam immediati Prælati conventus poteſtatem voluit textus in hac licentia concedenda coarctare, ut in ſpeciali hoc caſu indigeat ſui conventus conſilio, quod habitare extra conventum ſit res ardua, & ad coercendam religioſorum propenſionem ad habitandum extra conventum ex hac cauſa. Et ita hanc partem ſuſtinent *Cajetanus*, *Navarrus*, *Azor. Suar. ea ſect.* 4. *numer.* 36. *&* 37. *Sayro allegat. num.* 75. Unde rectè colligit *Suar. eodem numer.* 37. ubi juxta religionis conſtitutiones non poteſt immediatus Prælatus hanc facultatem concedere cum conſilio conventus, eam poteſtatem hujus licentiæ concedendæ non concedi in eo textu; quia textus non intendit horum Prælatorum facultatem augere, ſeu potius coarctare, ut ſi eam habeant, nequeant illa uti abſque ſui conventus conſilio.

78 Sed prædicti DD. non explicant, an quando licentia eundi ad ſtudia extra clauſtrum pendet à ſolo Provinciali, vel Generali, religioſus abſque omni licentia ea ſtudia adeat incurrat hanc excommunicationem? Et ut generaliùs dubium proponatur, poteſt generaliter dubitari, an quoties adeundi licentia, non eſt ſufficiens, vel ex defectu poteſtatis in concedente, quia juxta conſtitutiones religionis non poteſt Prælatus immediatus cum conventus conſilio; ſed habito conſenſu & impetrata eſt à Prælato immediato, petito conſilio conventus non conſentientis, ſed contradicentis; vel pendet licentia à ſolo Provinciali. vel Generali, & obtenta eſt à ſolo immediato Prælato cum conſilio conventus; vel pendet licentia à Provinciali, vel Generali, non ſolis, ſed cum conſilio, aut conſenſu conventus, & obtenta eſt à ſolo Provinciali, vel Generali, abſque conventus conſilio, vel conſenſu. Secundò poteſt eſſe licentia inſufficiens, eo quod ſubreptitia fuerit, nempe dolo, aut metu incuſſo impetrata. Tertiò poteſt nulla prorſus, obtineri licentia; ſed id contingit in religionibus, in quibus Prælatus immediatus cum conventu eam concedere non, poteſt, aut non cum ſolo conſilio conventus; in quo caſu loqui textum dixere auctores *n. præced.* allegati. Neminem inveni ita latè diſputantem; ſed ſolus *Suarez ea ſect.* 4. *n.* 37. *in fine*, tractat, quando Prælatus monaſterii immediatus, cui juxta religionis conſtitutiones noo permittitur hujus licentiæ conceſſio, ſed reſervatur Provinciali, aut Generali, an ſi de facto eam concedat cum ſui Capituli conſilio, incurrat religioſus hanc cenſuram virtute ejus licentiæ ſtudia adiens? Et reſpondet hanc licentiam ſufficere ad vitandam hanc cenſuram, quamvis non ſufficiat, ut acceſſus ad ſtudia legitimè fiat. Duciturque, tum quia ſervatur forma præſcripta in *eodem c.* 2. in hujus licentiæ conceſſione, ac proinde, cum canon ille non violetur, minimè ejus pœna incurretur. Tum etiam, quia ſaltem ſufficit, ne poſſit dici temeraria hujus canonis violatio, quod canon ille ad incurrendam hanc cenſuram petit.

79 Sed in contrarium valde urget, quia ſi textus in hac ferenda cenſura innitatur ſoli formæ in eo contentæ, & non potius defectui legitimæ licentiæ, quando ſolius Provincialis, aut Generalis eſſet dare hanc licentiam, religioſus adiens ſtudia abſque omni prorſus licentia, liberaretur hac excommunicatione, quia forma in eo textu præſcripta non habet locum in hoc caſu, ut diximus *numer.* 77. ac proinde ea forma non violatur. Quod ſi in hoc caſu incurratur defectio legitimæ licentiæ, incurretur quoque in omnibus propoſitis *numer. præced.* ſiquidem abſque licentia abiit religioſus ille; perinde enim eſt abſque licentia aliquid fieri, & fieri abſque licentia valida, ut impetrata dolo, aut metu, aut à non potenti concedere, ut inire matrimonium cum conſanguinea abſque diſpenſatione potentis eam concedere, aut ſubreptitia, eodem modo ſubjacet excommunicationi *Clement.* 1. *de affinit.*, *& conſanguinit.* quando ignorantia non excuſaret, ac inire abſque omni diſpenſatione; & perinde eſt contra paupertatis votum, ſi religioſus ſcienter donet, cum licentia non potentis eam concedere, ſicut ſi donet abſque omni licentia. Secundo, quia, ut diximus *eo num.* 77. textus *eo cap.* 2. non vult minorem, minutve legitimam licentiam, ut religioſus ad ſtudia extra clauſtrum vadat, quam jure, & attentis religionis conſtitutionibus, deſideratur; ſed potius, quando juxta illa ſufficiebat ſolius Prælati immediati licentia, id reſtringit, petitque ſimul conventum conſuli, ut maturiùs licentia illa conſideretur. Atque ita textus duo videtur decidere. Prius eſt, ne religioſus abſque legitima licentia adeat, ne detur materia vagandi. Poſterius, quando ea licentiæ conceſſio ſpectat ad ſolum immediatum Prælatum, arctat eam facultatem, jubens quoque conventum conſulendum, & ſic licentia eſt invalida, vel religioſus is ignorat hanc excommunicationem. Tandem, quia ſatis temeraria eſt ejus canonis violatio, quando, non bona fide, ſed ſciens licentiam illam eſſe illegitimam religioſus virtute illius ſtudia petit; ſicut temerarius eſſet, qui conſcius diſpenſationis irritæ conſanguineam virtute illius duceret in uxorem. Et ideò exiſtimo in omnibus caſibus *num. præced.* propoſitis incurri hanc excommunicationem, quando bona fides non excuſaret religioſum. Quod ſi opponas, id adverſari dictis *num.* 75. ubi tradidimus, religioſum abſque licentia migrantem in alium ſui ordinis conventum cauſa ſtudendi intra, vel extra clauſtrum, non incurrere hanc cenſuram; nam in eo caſu vadit ſimiliter abſque licentia. Sed reſpondeo, diſparem eſſe rationem, quia textus non excommunicat quamcumque profectionem abſque licentia ſuperiorum, ſed profectionem ad ſtudia extra clauſtrum ſita: at quando religioſus adiit alium conventum cauſa ſtudendi, ſive intra, ſive extra clauſtrum, habitando tamen in ſuo conventu, probavimus *eo n.* 75. non eſſe propriè profectionem ad ſtudia; & ideo jure optimo diximus non ſubjacere illam huic excommunicationi.

80 Dum autem petit textus *eo cap.* 2. licentiam obtineri à Prælato cum conſilio conventus, vel majoris partis illius, dubitari meritò poterit, quid intelligat per eam diſiunctionem, *vel majoris partis ejus*. *Suar.* 5. *tomo in* 3. *par. diſput.* 23. *ſect.* 4. *num.* 37. ait, per eam diſiunctionem indicari, non eſſe opus totum conventum ad conſilium petendum cogere, ſed ſatis eſſe majorem ejus partem, & hoc ex vi illius textus, niſi conſtitutiones religionis amplius petant; & poteſt id probari, quia hoc modo non intellecta ſuperflua eſſet ea diſiunctio, cùm jure ſtatutum ſit, factum a majori conventus cujuſcumque parte, dici a toto conventu, fieri, *cap.* 1. *& cap. finali de his*, *quæ fiunt a majori parte*. At in litteris Apoſtolicis nec una littera ſuperflua eſſe debet, quin aliquid operetur, ut probavimus *lib.* 3. *de matrim. diſput.* 26. *num.* 6. At exiſtimo non ſufficere convocare majorem partem conventus; ſed totum convocandum eſſe ad conſilium petendum, & eam diſiunctionem poſitam eſſe majoris declarationis gratia ad explicandum, ita conventum totum convocandum eſſe, ut non ſit neceſſarium totius conventus beneplacitum, ſed ſufficiat majoris partis; quamvis enim ea diſiunctione non addita, ſic intelligeretur prior pars, quia tamen in aliquibus caſibus, non ſufficit major pars, ne quiſquam putaret hunc caſum eſſe ex illis, eam diſiunctionem addit textus: & quandoque verba in privilegiis nihil novum præter jus commune inducere, ſed ad pacandas conſcientias, remque magis explicandam apponi, probavimus *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 37. *num. ult. ad ultimum*. Ducor autem ad hoc, quia cùm valde extraordinarium ſit in religionibus, quando conventus conſulendus eſt, non totam, ſed majorem partem cogi, idque gravibus cæterorum non coactorum querelis expoſitum, ſitque contra religionis ſtylum; non eſt credendum Pontificem in hoc caſu voluiſſe id inducere. Et hujus ſententiæ expreſsè eſt *Monachus eo c.* 2. *n.* 2. ubi explicans eam particulam, *vel majoris partis*, ſic ait; *ſunt enim paria, quod ſiat a toto Capitulo*, *vel majori parte c.* 1. *& cap. fin. de his*, *quæ fiunt a majori parte*, ac proinde cenſet eam diſiunctionem eſſe expreſſionem majoris partis.

81 Rurſus circa eamdem partem dubium eſt, an ſufficiat audire conſilium conventus, ſitque liberum Prælato, illud non ſequi. Quibuſdam placet, ſatis eſſe audire conſilium; quia textus expreſsè dicit, *cum conſilio conventus*. At quando conſilium deſideratur, ſatis eſt, illud petere, & expectare, nec opus eſt, illud ſequi, ut ex multis probavimus *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 34. *num.* 24. Ita docent *Franc. eo cap.* 2. *in fine num.* 3. *&* 5. *& Probus ibi*, *additionib. ad Monachum*, *num.* 1. *Aufrerius deciſione Tholoſana* 271. *Item*, *an valeat licentia*, *num.* 2. *Suar.* 5. *tomo in* 3. *part. diſput.* 23. *ſect.* 4. *num.* 37.

82 Cæterùm, quamvis hoc ſatis probabile ſit; at probabiliùs exiſtimo, requiri conſenſum majoris partis conventus, quia quoties conſilium petendum eſt ab aliquo tamquam a collega, & participe officii, eſt illud neceſſariò ſequendum; & in hoc caſu non eſt differentia inter conſilium, & conſenſum, ut probavimus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 65. At conventus eſt collega, & particeps officii Prælati in rebus arduis exequendis, ut probavimus *ibi num.* 64. qualem reputat hanc textus *eod. cap.* 2. Præterea, quia niſi conſilium explicetur in eo textu, ut importet conſenſum, non poteſt diſiunctio illa, *vel majoris partis*, commodè explicari; nam, ut probavimus *num. præced.* ea diſiunctio, nihil novi addit. Sed idem eſt dicere, cum conſilio conventus, & cum conſilio majoris partis; at ſi conſilium merè conſilium importet, & totus conventus ad ejus conſilium audiendum cogendus ſit, non ſufficiet conſilium majoris partis, ſed totius conventus. Quare ſenſus eſt, ut una cum Abbate conſentiat quoque totus conventus, vel major ejus pars. Et ideo hanc partem ſuſtinet deciſio illa *Tholoſana Capellæ* allegata *num. præced. Palud. in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 3. *art.* 3. *num.* 42. eam rationem reddens, quia ſicut nequit Abbas, ſine aſſenſu conventus rem notabilem ad tempus non modicum alienare, ita nec perſonam. *Navar. ſumm. cap.* 27. *num.* 133. *Sayr. de cenſur. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 20.

83 Præterea nec deciſio textus *eod. cap.* 2. locum habet in Prioribus, qui ſunt extra conventum, quia ut illi ſtudia adeant, ſufficit licentia ſolius Abbatis. Ita *Palud. num. præced.* allegatus.

84 Demum ſupereſt duplex difficultas. Prior eſt, an ipſe monaſterii Prælatus adiens ſtudia abſque ſui ſuperioris licentia, incurrat hanc cenſuram? Affirmant quidam, & probant, quia textus *eo cap.* 2. dicit, *niſi à ſuo Prælato licentiam obtineat*. At Prælatus hic habet Prælatum ſe ſuperiorem. Item, quia quamvis hæc conſtitutio tamquam pœnalis videatur reſtringenda, at cum favo-

rem animæ reſpiciat, ut periculoſa religioſis evagandi occaſio ſubtrahatur, eſt potiùs amplianda, ut de ſimilibus conſtitutionibus pœnalibus probavimus lib. 7. de matrim. diſput. 7. n. 8. Tandem, quia in pœnalibus nomine monachorum venit Abbas, ut notatur a DD. cap. fin. de ſimonia. Et ideò hanc partem ſuſtinent Sylveſt. verbo excommunicatio 9. caſu 25. n. 55. q. 1. & in hanc magis inclinat, quamvis dubius, Franc. eod. c. 2. in princip. n. 5.

85 At frequentiſſima, & probabilior opinio ſuſtinet, eum non incurrere, quia apertè textus eod. c. 2. loquitur de ſubditis habentibus proximum, & immediatum conventus Prælatum, ut colligitur ex his verbis, à ſuo Prælato cum conſilio ſui conventus; & per hoc ceſſant rationes contrariæ. Et hanc tenet Archidiac. eod. c. 2. nu. 5. & ibi Joan. Andr. nu. 2. & 3. Anchar. n. 2. notab. 3. Dominic. in princip. n. 9. Roſell. verb. excommunicatio 1. caſu 16. num. ult. D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 53. Aufrer. deciſ. Tholoſan. 271. Item, an valeat licentia n. 3. Angel. verbo excommunicatio 7. caſu 27. n. 4. Tabiena verb. excommunicatio 5. caſu 23. q. 5. n. 6. Navarr. ſumma c. 27. nu. 133. Suar. tomo 5. in 3. part. diſput. 23. ſect. 4. n. 38. Azor. tom. 1. Inſtitut. moral. lib. 12. cap. 13. quæſt. 5. caſu 16. in fine, Sayr. de cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 22. ubi jure optimo dicit idem ſentiendum de alio ſuperiori, qui vicem Abbatis tenet in conventu, & eſt verè Prælatus illius, quia eadem eſt ratio.

86 Poſterior difficultas eſt, an Epiſcopus poſſit concedere regularibus hanc licentiam eundi ad ſtudia? Quæ difficultas ſolùm procedit in religioſis non exemptis; quippe reſpectu exemptorum conſtat, Epiſcopum nullam habere juriſdictionem, nec eſſe eorum Prælatum. Et communis ſententia affirmat, Epiſcopum non poſſe abſque Abbatis conſenſu concedere hanc licentiam, quod textus eo cap. 7. loquatur de immediato Prælato conventus (ut probavimus nu. 77.) qualis non eſt Epiſcopus. Et ita docent Gloſſ. eo cap. 2. in caſus poſitione, & ibi Joan. Andr. num. 1. Archidiac. num. 3. Ancharan. num. 2. notab. 2. Dominic. in princip. num. 8. Francus in princip. num. 3. D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 53. Tabiena verbo excommunicatio 5. caſu 23. in fine, Sayro de cenſur. lib 3. cap. 33. num. 23. & explicant Tabien. & Sayr. etiam circa monaſteria non exempta, & Tabien. eo caſu 33. init. ait, nec ſufficere licentiam Epiſcopi cum conſilio majoris partis conventus.

87 At Sylveſt. verb. excommunicatio 9. caſu 25. n. 55. q. 2. ait eſſe ab omni ratione alienum, negare Epiſcopo poteſtatem hujus licentiæ concedendæ in monaſteriis non exemptis, cùm ipſe ſuperior immediato Prælato ſit, nec oporteat verba textus ad immediatum Prælatum reſtringere. Et jure optimo hoc ait; nam ut diximus n. 77. etſi textus eod. c. 2. loquatur de immediato conventus Prælato, id utique eſt, quatenus coarctat ejus poteſtatem, ut conſilio conventus indigeat, non verò, ut aliis ſuperioribus mediatis eam poteſtatem deneget, nec ut reſpectu illorum neceſſarium ſit conventum conſuli, quando juxta religionis conſtitutiones eam dare poſſent. Et ideo dicendum eſt, conſulendas eſſe ejus religionis non exemptæ conſtitutiones, & uſum, & ſi juxta illa poſſit Epiſcopus, non oberit deciſio hujus textus, nec ullatenus ejus poteſtatem coarctabit, cùm ſolius immediati Prælati poteſtatem reſtringat.

88 Id demum obſervandum eſt, dum textus eo c. 2. petit conſenſum Prælati cum conventus conſilio ad hanc licentiam concedendam, nomine Prælati intelligere, non tantùm ipſum Abbatem, ſed etiam ejus locumtenentem, qui verè eſt illius religionis Prælatus, ut benè notant Archidiac. num. 2. Joan. Andr. Dominic. Franc. D. Anton. Tabiena, eo caſu 23. in fin. Sayr. allegat. num. 86. quia ille gerit in omnibus Prælati vices, totaque ejus poteſtate gaudet.

SUMMARIUM.

Quæ conditiones petantur, ut Doctor, ſive Magiſter docens, vel in ſcholis retinens religioſos audientes medicinam, vel leges, incurrat excommunicationem? n. 89.
An deſideretur, ut religioſus ille audiat dimiſſo habitu? n. 90.
Quid ſi audiens non ſit religioſus, ſed Sacerdos ſæcularis, & an conſtitutio pœnalis nova loquens in uno de caſibus jure antiquo æquiparatis, extendatur ad alium caſum? n. 91.
An qui non ſunt Doctores, vel Magiſtri, incurrant docendo, vel retinendo prædictos religioſos? n. 92.
An ii incurrant docentes, quamvis non retineant, vel è contra? n. 93.
An exigatur doceri in ſcholis, aut in eis, & non extra retineri? n. 94.
An incurrat Magiſter, ſi norit religioſum in domo propinqua audire? n. 95.
Quid intelligatur nomine Magiſtri, & quid nomine Doctoris? n. 96
Quid intelligatur per retentionem? n. 97.
An poſſit, & debeat vi expellere religioſum nolentem? n. 98.
An debeat à lectione deſiſtere, nolente religioſo exire? n. 99.
Quæ ignorantia excuſet Magiſtros ab hac cenſura? n. 100.
Poſtea invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

89 TErtia excommunicatio inflicta eo cap. 2. ne clerici, vel monachi, in 6. eſt in Doctores, ſive Magiſtros, qui religioſos habitu ſuo dimiſſo leges, vel Phyſicam audientes, ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere. Quare, ut optimè advertit Cajetan. ſumm. verb. excommunicatio cap. 61. in fin. quatuor conditiones petuntur ad hanc excommunicationem contrahendam, duæ ex parte religioſorum, nempè, ut audiant leges, vel Phyſicam, id eſt, medicinam, & ut audiant habitu dimiſſo; & aliæ duæ ex parte Doctorum, ſeu Magiſtrorum, nempè, ut ſcienter, & præſumptuosè tales religioſos doceant, vel retineant.

90 Hinc deducitur primò deciſio ejus quæſtionis, an DD. hi incurrant, quando religioſus audiens habitum non dimiſit? Nam Gloſſa eo c. 2. verbo dimiſſo ait incurrere, quia participant in crimine, ob quod ille religioſus excommunicationem incurrit; eo enim ipſo quod medicinam, vel leges audit, etiam habitu retento, contrahit excommunicationem contentam c. fin. ne clerici, vel monachi. Ergo & Doctores, ſive Magiſtri participantes docendo cum religioſis in hoc crimine, incurrent quoque hanc cenſuram c. nuper verſ. in 2. verſ. quæſtione & c. ſi concubinæ, de ſententia excommunicationis. Unde ait Gloſſa, hanc excommunicationem potiùs eſſe declarationem juris veteris, quàm novum caſum continere, atque eos incurrere, eo quod in crimine cum criminoſo participent, docent quoque Archidiac. eod. cap. 2. num. 7. Joan. Andr. num. 6. Francus ibi §. Doctores num. unic. verſ. in ea. Gloſ. in fine. Dominicus eodem §. num. 2. Aſtenſ. 2. part. ſumm. lib. 7. tit. 2. art. 2. caſu 37. Roſella verb. excommunicatio 16. caſu 26. num. 5. in fine. Sylveſter verb. excommunicatio 9. caſu 26. num. 56. quæſt. 1. Quare dum petit textus, ut religioſus habitu dimiſſo audiat, dicunt Archidiac. Dominic. & Francus ſupplendum eſſe, maximè, ut præcipuè hic caſus includatur non excluſo alio, nimirum, quando habitu retento audit. Cæterùm omnino tenendum eſt, Doctores, ſive Magiſtros non incurrere hanc excommunicationem, ſi religioſus habitu retento eas facultates audiat, quia, ut diximus num. præced. textus expreſsè petit religioſos habitu dimiſſo audire; & ad libitum dicitur abſque fundamento aliquo hanc non eſſe novam excommunicationem, vel ſupplendum eſſe, maximè. Et ideò hanc partem ſuſtinent Cajetan. in ſumm. verb. excommunicatio cap. 61. in fine. Tabiena verb. excommunicatio 5. caſu 23. quæſt. 3. num. 4. Navar. ſumm. c. 27. num. 134. Suarez tomo 5. in 3. par. diſp. 23. ſect. 4. num. 36. Dixi autem non incurrere hanc cenſuram, quia verè incurrent excommunicationem latam dicto c. nuper & c. ſi concubinæ eo quod religioſus, etiam habitu retento eas facultates audiens, excommunicationi latæ c. fin. ne clerici, vel monachi, ſubjaceat; ac proinde Magiſter docendo, vel retinendo eum, tamquam participans in hoc crimine, incurret excommunicationem latam eo c. nuper, & c. ſi concubinæ contra participantes cum excommunicato in eodem crimine. Et ita benè docent Tabiena, Navarr. & Suarez ibid. Et in hoc benè dixerunt Doctores allegati pro priori ſententia; ſed minus benè utramque excommunicationem confundunt, cùm, quando religioſus habitum dimittit, Magiſtri docentes, vel retinentes ſemper hanc excommunicationem incurrant, nec quidquam referat ad excommunicationem, an religioſus ille denunciatus ſit, necne. Immo, quamvis religioſus nullam excommunicationem incurrat; excuſante illum invincibili ignorantia, Magiſtri non ignorantes incurrent hanc excommunicationem, utpote quæ nullatenus pendet ab excommunicatione per religioſos contracta. At verò excommunicationem latam d. c. nuper, & d. c. ſi concubinæ contra participantes in crimine, non incurrent Magiſtri, niſi poſtquam religioſus ille audiendo excommunicationem incurrit, ut fatentur omnes DD. allegati, cùm antea non verè participent in crimine cum excommunicato. Immo, ut benè ait Suarez ea ſect. 4. num. 41. in fin. oportet, ut religioſus ille ſit jam de excommunicatione denunciatus, quia, ut probavimus lib. 7. de matrimon. diſput. 48. num. 3. participans in crimine cum excommunicato, non ligatur ea excommunicatione, niſi participet cum illo, poſtquam proprio nomine denunciatus ſit. Quarè benè ait Tabiena eo num. 4. quæſt. 3. ſi religioſus has facultates audiat habitu retento, Magiſtros docentes, vel retinentes unica excommunicatione ligari, nempè, lata eo c. nuper, & c. ſi concubinæ, quod participent in crimine cum illo (intellige, ſi jam religioſus ille denunciatus ſit.) Quod ſi audiat habitu dimiſſo, incurrent duplicem, alteram, eo quod participent in crimine, alteram autem quod doceant, vel retineant religioſum habitu dimiſſo audientem leges, vel medicinam contra deciſionem d. cap. 2.

91 Secundò deducitur, quid dicendum de Magiſtris docentibus leges, vel medicinam ſacerdotes ſæculares. Videntur enim hanc excommunicationem incurrere, quia quamvis in hoc cap. 2. de ſolis religioſis has facultates audientibus mentio fiat: at c. finali, ne clerici, vel monachi, æquè excommunicantur religioſi, ac ſacerdotes ſæculares ſcientiam audientes. At conſtitutio nova, etiam pœnalis, loquens in uno de caſibus æquiparatis jure antiquo, debet extendi ad alterum, in quo eſt eadem ratio, ut optimè docet Gloſſa, c. ſi poſtquam, verb. proviſione, de elect. in 6. & l. ſi quis ſervo, verbo extendatur, C. de furtis. Sed dicendum eſt, non incurrere, quia textus eo cap. 2. ſolos Doctores excommunicat, qui religioſos audientes has facultates docent, vel retinent. Non eſt ergo extendenda

denda ad eos, qui docent Præsbyteros ſæculares, quia, etſi ſecundùm certam qualitatem jus aliquod æquiparet duo extrema, aliud jus loquens poſtea de altero ex illis extremis in caſu non æquiparato, non extenditur ad aliud, ut tradunt Gloſ. c. conſtitutionem, verbo prorogamus, de regularibus, in 6. & reg. quæ à jure, verbo quæ à jure, de regul. juris, eodem lib. & c. 5. verb. declaramus, ne clerici, vel monachi, eod. lib. & ubi etiam Dominicus num 7. Francus num. 3. & ita idem Franc. d. c. 2. §. Doctores, num. unico, notab. 1. Tabien. verb. excommunicatio 5. caſu 23. q. 5. num. 6. in fine.

92 Tertiò deducitur, alios, qui non ſunt Doctores, ſive Magiſtri, retinentes etiam poſitivè cooperando, vel non compellentes, cùm ex officio teneantur, religioſos, qui dimiſſo habitu prædictas facultates audiunt, non incurrere hanc cenſuram, quia ſolos Doctores, ſive Magiſtros docentes, vel retinentes textus excommunicat; & ita benè docent Suar. ead. ſect. 4. num. 41.

93 Quartò deducitur, Doctores, ſive Magiſtros docentes, quamvis non retineant in ſuis ſcholis hujuſmodi religioſos, incurrere hanc cenſuram, & è contra ſi retinent, quamvis non docent, quia textus eod. cap. 2. disjunctivè petit docere, vel retinere; & ita benè docet Suarez ead. ſect. 4. num. 40. & 41.

94 Similiter incurrent, ſi doceant ſive in ſcholis, ſive non tamen incurrent, ſi non docentes retineant extra ſcholas, quia textus eod. cap. 2. excommunicavit abſque limitatione aliqua docentes; at quoad retinentes petiit, ut in ſcholis ſuis retineant. Atque ita docent Archidiac. eod. c. 2. num. ult. verſic. ſcienter, & ibi Joan. Andr. num. 3. Dominic. ibi §. Doctores, numer. 2. Franc. eod. §. numer. unic. verſic. ultimo, notab. 1.

95 Non autem incurrent Magiſtri docentes, quamvis norint religioſos in domo ſcholis propinqua audire, tum quia inhibere nequeunt, ne in domo illa ſint; tum etiam, quia ad illos inſtruendos nec principaliter, nec incidenter intenduunt. Sic Gloſ. eod. c. 2. verſ. retinere, & ibi Joan. Andr. in fine, Archidiac. ibi ad finem verſ. in ſcholis Monachus num. 4. Probus in additionibus ad ipſum, num. 3. verbo non poteſt Domin. ibi §. Doctores, num. 3. Franc. eod. §. ad finem, Hoſtienſ. ſumm. 2. par. lib. 7. tit. 2. art. 2. caſu 37. Roſell. verbo excommunicatio 1. caſu 16. num. 6. Sylveſter verb. excommunicatio 9. caſu 26. num. 56. quæſt. 2. Tabien. verb. excommunicatio 5. caſu 23. quæſt. 4. num. 5.

96 Sed dubitabis primò, quid nomine Magiſtri; & quid nomine Doctoris in eod. c. 2. intelligatur. Suarez d. ſect. 4. num. 30. & 41. ait, non intelligi idem nomine Magiſtri, & Doctoris, ſed Magiſtri nomen ad officium docendi referri, Doctoris autem ad gradum; atque ita dicit, non oportere retinentem in ſcholis fungi munere docendi, ſed ſatis eſſe, ſi Doctoris ejus Academiæ gradum obtinuerit. Cæterùm hoc non credo, ſed exiſtimo idem importare utrumque nomen, atque ita Doctores appellari Magiſtros docentes; quarè ſi hoc munere non fungantur, minimè incurrent hanc cenſuram, quamvis Doctoris gradu inſigniti ſint, retinendo in ſcholis prædictos religioſos; Quod mihi perſuadeo. Primo, quia textus eod. cap. 2. ait, Doctores quoque, ſive Magiſtri, quæ dictio, ſive, poteſt declarativè, ut ita dicam, intelligi, ut indicat ibi Dominic. §. Doctores, nu. 1. Quare in dubio ſic videtur intelligenda, ut conſtitutio hæc pœnalis magis reſtringantur. Secundò, quia textus dicit, aut in ſcholis ſuis præſumpſerit retinere. At ſcholæ non dicuntur propriè inſignitorum Doctoris gradu, ſed Magiſtri munere fungentium. Tandem quia communiter DD. idem videntur intelligere nomine Magiſtri, & Doctoris, ut Gloſ. eod. cap. 2. in caſus poſitione, ubi ſic ponit ſummam caſus illius in textu contenti. Doctor, qui religioſum admittit in adjutorio ſuo, eſt excommunicatus, & Joan. Andr. eod. c. 2. initio; Anchar. ibi initio, Dominicus ibidem Franc. §. Doctores, init. Cajetan. ſumm. verb. excommunicatio c. 61. initio, & in fine Navarr. ſumm. c. 27. num. 134. ſolius Doctoris meminere explicantes hunc caſum tacito Magiſtri nomine, quaſi ſentientes Doctoris nomine intelligi docentem; ac proinde idem eſſe Doctorem, & Magiſtrum.

97 Secundò dubitabis, quid intelligat textus per illam particulam, retinere. Reſpondeo, retinere eſſe concurrere poſitivè, ſive rogando, ſive conſulendo, ſive defendendo ſua auctoritate, & favore, vel violentia aliqua; quando autem adeſſet ſola negatio, ideſt, non expellere, non diceretur retinere, niſi Magiſter ille eſſet Rector Univerſitatis, cui ex officio incumberet expellere, ut DD. communiter tradunt in materia de reſtitutione, dum explicant caſus, in quibus incurritur obligatio reſtituendi propter actus negativos injuſtitiæ; atque ita benè docet Suarez ead. ſect. 4. num. 4.

98 Tertiò dubitabis, quid poſſit, ac debeat Magiſter, ſi dum publicè docet, norit adeſſe religioſum habitu dimiſſo audientem has ſcientias. Quidam docent, poſſe, ac debere vi expellere nolentem exire, quia dum textus eod. cap. 2. jubet, ne Magiſter hunc doceat, aut in ſcholis retineat, dat ei conſequenter vi expellendi facultatem, quando id ad exitum deſideratur, argum. ex cap. veniens, de ſent. excommunic. ubi liberatur excommunicatione expellens vi clericum excommunicatum perturbantem divina officia. Et ita docent Gloſ. eod. cap. 2. verb. retinere, & ibi Archidiac. in fine Joan. Andr. in fine Dominic. §. Doctores, num. 3. in fine ſuper Gloſſ. verb. per hanc Franc. eodem §. fin. Aſtenſ. 2. part. ſum. libr. 7. titul. 2. articol. 2. caſu 37. Roſella verb. excommunicatio 1. caſu 16. numer. 8. Sylveſter verb. excommunicatio 9. caſu 26. num. 57. quæſt. 3. limitans citra ſanguinis effuſionem, aut percuſſionem Tabien. verb. excommunic. 5. caſu 23. quæſt. 4. num. 5. Armilla verb. excommunicatio caſu 53. in fine. Quamvis autem hoc ſit probabile, veriùs eſſe credo, non integrum eſſe Magiſtro eam vim inferre, niſi Rector ſit Univerſitatis, aut aliunde juriſdictione hac præditus, quia hoc publicæ poteſtatis eſt, quali non fungitur Magiſter ex ſolo docendi officio: nec textus ille capit. 2. hanc vim concedit, ſed ſolùm interdicit, ne religioſum illum doceat, aut retineat concurrendo poſitivè, aut quando juriſdictionem habet, concurrendo negativè, ut diximus numero præced. Nec eſt ſimile in caſu ejus cap. veniens, quia divina officia celebrari nequeunt excommunicato non expulſo: at doceri poteſt, eo religioſo nolente exire, ut numer. ſequenti declarabimus, & ita docet Suarez ead. ſection. 4. num. 40.

99 Quando autem adhibita diligentia, nequit religioſus expelli, dicunt omittendam lectionem, exiturumque è ſcholis Magiſtrum, ne hanc excommunicationem contrahat, ſicut fieri debet excommunicato accedente ad divina officia audienda, cùm expelli nequit. Ita docent Gloſ. Aſtenſ. Roſella numer. 8. Sylveſter, Tabiena, numer. præcedenti allegati. At meliùs Suarez ead. ſect. 4. numer. 41. aſſerit, non teneri Magiſtrum deſiſtere à ſuo munere, ne ille audiat, quia jam tunc non dicetur propriè eum docere, aut retinere, quod textus petit, ſed tolerare & permittere, dum docet alios, ſicut diximus numer. 95. dum norit Magiſter religioſum ex domo ſcholis vicina audire. Deinde, quia cùm textus petat ſcienter hæc à Magiſtro præſtari, à fortiori petit voluntariè hæc fieri ſcientia enim propter voluntatem perfectiorem deſideratur.

100 Tandem cùm textus eo cap. 2. petant ad hanc excommunicationem ſcientiam, & præſumptionem, excuſabit, ignorantia, quamvis culpabilis ſit, ut benè docet Suarez ead. ſect. 4. numer. 39. Limitat Francus eo cap. 2. §. Doctores. ad fin. dummodo non ſit craſſa. At dicendum eſt, etiam craſſam & ſupinam excuſare, dummodo non affectata, aut adeò craſſa ſit, ut poſſit dici ingens temeritas, ut diximus num. 43.

SUMMARIUM.

Proponitur probantia religioſis non licere appellationem n. 101.
Explicatur, quando liceat religioſis ſecundùm jus commune à correctione regulæ appellare, n. 102.
An id liceat, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter procedat religionis Prælatus? n. 103.
An ſit diſcrimen inter appellationem ſecularium, & regularium, in cauſa correctionis vel in aliis? n. 104.
An in appellatione, in cauſa correctionis, & in aliis caſibus prohibitis ſit neceſſarium, & in impetratione litterarum exprimere cauſam condemnationis? n. 105.
An ea expreſſio cauſæ ſit de ſubſtantia appellationis, vel quid operetur? n. 106.
Referuntur varia privilegia interdicentia religioſis appellare, num. 107.
Hæc privilegia convenientiſſima ſunt, n. 108.
Qualiter intelligantur. Refertur quædam ſententia, n. 109.
Expl icatur ſententia auctoris, 110.
An religioſis integrum ſit Prælatum recuſare? n. 111.

101 QUæſtio ultima. Qualiter religioſis integrum ſit à correctione ſuorum ſuperiorum appellare, eoſve recuſare. Et quidem loquendo de appellatione, videtur religioſis interdicta cap. ad noſtram, de appellationibus, ibi Non minus cum juxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & inſtituyionem ordinis corrigas, & caſtiges, &c. irreprehenſibilis, eod. tit. in fin. ibi. Ne religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant. Idem habetur c. cùm ſpeciali, in fin. eod. tit. Secundò, quia Trident. ſeſſ. 25. de regular. c. 4. præcipit, ne religioſi è ſuis conventibus recedant etiam cauſa ſuperioris adeundi.

12 Sed, ut clarius procedamus, primò dicemus, quid jure communi, deinde quid attentis religionum privilegiis cenſendum ſit. Et quidem, ſi ſolum jus commune attendamus, non eſt integrum religioſis appellare à correctione, & mandatis ſuorum Prælatorum legitimè factis ſecundùm regulares conſtitutiones: ſecus quando Prælati regulares modum excedunt. Conſtat ex capit. de Priore, de appellation. ubi Prior regularis, qui appellationi religioſi non detulit, graviter puniri jubetur, ex capit. licet de offic. ordinarii, ubi dicit Pontifex, quamvis in corrigendis exceſſibus ſit appellationis refugium interclusum, non eſſe ſuæ intentionis remedium appellationis omnino excludere, quaſi id concedat, ubi in correctione exceditur; & cap. ſuper quæſtionum, verſ. nos autem, de offic. delegat. ibi; niſi modum excedat, non licet appellare. Idem probatur ex capit. ad noſtram, ac appellation. à contrario ſenſu; ea enim redditur ibi ratio, cur à correctione regulari non ſit appellandum, ne Regulari ab obſervantia regulari exorbitante patrocinium exhibeatur. Ergo à contrario ſenſu, quando non iniquè, ſed juſtè religioſus ſe tuetur contra Prælati exceſſum, integrum

erit ei appellare. Et optimam rationem tradit Abbas eo c. licet num. 1. quod appellatio permiſſa ſit gratia auferendi gravaminis c. ut debitus, de appellat. At gravamen minimè eſt, dum juxta regularem diſciplinam religioſus corrigitur, & caſtigatur. Secus autem ubi modus in ea præſcriptus exceditur. Ergo in priori caſu, non erit locus appellationi, ſed in ſolo poſteriori. Nec obſtant in contrarium adducta; quia textus illi denegantes regularibus appellationem loquuntur, quando modus regularis diſciplinæ in corrigendo non exceditur, ut ſatis probatum eſt. Nec etiam obſtat Tridentinum, quia, ut benè reſpondent Navar. Azor., Sayro, Emmanuel ſtatim allegandi, non interdicit Concilium appellationem ad ſuperiorem, ſed receſſum a monaſterio prætextu ſuperioris adeundi. Et ideo hanc tenet Gloſ. fin. c. ad noſtram, de appellat. & ibi Innocent. n. unico. Hoſtienſ. n. 6. Anton. n. 9. Card. in fin. Bald. n. 2. Abbas ſtatim in princ. notab. 1. Præpoſitus n. 3. Alex. de Nevo n. 13. Franc. nu. 3. Decius nu. 1. Imola in fin. Idem Gloſ. eo c. de Priore, verbo contempſit, & ibi Hoſtienſ. ad fin. Abbas nu. 6. Idem Gloſ. d. c. licet, verbo interd. & ibi Abbas nu. 1. & c. reprehenſibilis, ad fin. de appellat. Idem Innoc. c. cum ſpeciali, in fin. eod. tit. Hoſtienſ. in fin. Anton. in fin. Franc. §. ult. n. 4. Angel. verbo appellatio nu. 10. ubi Sylveſt. q. 7. n. 9. Armill. n. 15. Tabien. q. 11. nu. 12. Navarr. comment. 3. de regular. nu. 51. & lib. 2. conſiliorum, in 1. edit. de ſententia & re judicata, conſ. unico, n. 6. & tit. de appellat. conſ. 4. n. 1. & tit. ut lite pendente, conſ. unico n. 8. qui titulus ponitur in additionibus poſt lib. 5. & eo conſ. unico ut lite pendente nu. 8. dicit per hanc appellationem ſuſpendi ſententias, & cenſuras Prælati regularis in 2. eod. tit. de appellat. conſ. 4. n. 1. & conſ. 5. nu. 6. Azor. lib. 12. inſtit. moral. c. 11. q. 8. Manuel de ordin. judiciali c. 13. nu. 4. & qq. regular. tom. 1. q. 29. art. 2. Sayr. Clavis regia lib. 12. c. 17. a n. 38. uſque ad 49.

103 Quidam temperant hoc modo, ut ſi Prælatus regularis procedat judicialiter, liceat ſemper ab ejus ſententia appellare, ſi vero procedat extra judicium, & ad penitentiam, ſeu progreſſu regulari, non liceat appellare, niſi quando modum, ac regulæ metas in correctione excedit. Ita ſentire videntur Gloſ. fin. c. ad noſtram, & ibi Hoſtienſ. num. 8. dum eam rationem reddunt, cur a correctione ſecundùm regulam appellari nequit, niſi modus excedatur, quia correctio fit ad penitentiam, & extra judicii formam; quaſi concedant ſemper appellationem, dum in forma judicii procederet; nec in hoc verſatur aliquod diſcrimen inter regulares, ac ſæculares. Et ita ſentiunt Tancredus & Vincentius eo c. ad noſtram ut eos refert ibi Abbas n. 7. & idem ſentiunt Hoſt. c. cum ſpeciali n. 8. de appellat. & ibi Joan. Andr. n. 38. Anton. fin. Bellamer. n. 14. Franc. ibi §. ult. nu. 4. At veriùs eſt, quo ad hoc nihil diſtare inter utrumque procedendi modum, ſed ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter procedatur, integrum non eſſe appellare, quando ſuperior non excedit regulæ limites; ſecus, quando illos tranſgreditur: quod textus eo c. cum ſpeciali in fin. prohibet appellari in regularium cauſis, quatenus appellatio eſſet contra inſtituta regulæ. Ergo nullum eſt diſcrimen in hoc, ſed licebit in utroque proceſſu appellare, ubi ea inſtituta exceduntur, & in neutro licebit illis non exceſſis. Item, quia ubi ſecundùm inſtituta regulæ Prælatus procedit, in neutro procedendi modo gravat. At ea excedens, in utroque gravat: appellandi autem facultas gravamini innititur. Et ideo ita docent Abb. eo c. cum ſpeciali, §. fin. nu. 3. & ibi Alexand. de Nevo num. 8. Præpoſitus in fine.

164 Sed hinc inferes, nullum eſſe diſcrimen hodie inter regulares, & ſæculares, & inter correctionem, & alios proceſſus, cùm utrique appellare valeant, dum gravantur, & neutri, dum non gravantur. Id fatetur Innoc. eo ad noſtram, nu. unic. & ibi Baldus nu. 2. Sed Hoſtienſ. eo c. ad noſtram n. 4. & 5. quem ſequuntur Joan. Andr. ibi in fin. Anton. nu. 6. Imola in fin. reprehendit Innocentium, eo quod multi ſunt caſus, in quibus gravantur ſæculares, in quibus religioſi minimè gravarentur; quod non tam rigidè modus judicialis obſervandus ſit adverſus regulares, quam adverſus ſæculares, ut conſtat ex c. qualiter §. fin. de accuſat. & c. per tuas, §. fin. de ſimonia. Verùm optimè Abbas eo c. ad noſtram, n. 7. & 8. & ibi Alex. de Nevo n. 13. & 14. defendunt Innocentium, quia quamvis vera ſit doctrina Hoſtienſis, quatenus ait faciliùs gravari ſæculares, quàm religioſos, non obſtat doctrinæ Innocentii, ſed utraque vera eſt; quia Innocentius, in hoc ſolo ait, nullam inter utroſque conſtitui differentiam, quo ad facultatem appellandi, quod ea ſolùm utriſque concedatur, quando gravantur, cum quo ſtat ſæpiùs concedi ſæcularibus, eo quod ſæpiùs gravari poſſint. Nec etiam hodie dicitur eſſe differentiam inter utroſque, quo ad hoc, quod ſi ſententia etiam definitiva eſt notorio jure fulcita, non debet admitti appellatio tam in ſæcularibus, quàm in regularibus, ſecus autem, ubi poſſet competere excuſatio, aut non probatum probabo. Et idem tradit Abbas c. licet, n. 1. de offic. ordin.

105 Eſt tamen differentia quo ad hoc inter cauſam correctionis, & alias, quod licèt regulariter in appellatione a ſententia definitiva, non ſit opus exprimere cauſam, ſed ſatis ſit dicere, appello ab iniqua ſententia lib. 1. in fin. & ſeqq. ff. de appell. c. cum in eccleſia eo tit. & c. 1. eo tit. in 6. At in appellatione a definitiva in cauſa correctionis, & in omnibus aliis caſibus, in quibus appellatio eſt interdicta, ut quoties committitur cauſa appellatione remota, eſt opus in ipſa appellatione exprimere cauſam gravaminis. Ratio eſt, quia in cauſis correctionis, & aliis prohibitis interdicitur appellatio regulariter, & ſolùm admittitur in caſu ſpeciali, nempe cùm modus exceditur; & ideò, cùm jus ei appellationi reſiſtat, niſi in eo caſu ſpeciali, oportet eam cauſam ſpecialem exprimere, ut appareat appellatum in caſu conceſſo. Cùm enim videat Judex appellationem interponi contra jus, debet in dubio præſumere eam injuſtam, & ideo, ut de ejus juſtitia conſtet, oportet cauſam exprimere. Atque ita docent Innoc. c. ad noſtram, nu. unic. de appellat. & ibi Joan. Andr. nu. ult. Anton. n. ult. Abb. n. 8. & 9. Baldus n. 2. Decius in nova edit. n. 28. Francus nu. 3. & 4. Præpoſitus in fin. Felinus nu. ult. & latiùs idem Felinus multis aliis citatis, c. quo ad conſultationem nu. 20. de ſentent. & re judic. Idem Gloſ. c. Romana, §. ſi autem, verbo mandatur, de appell. in 6. & ibi Franc. in fin. Dominic. n. ult. Idem Francus c. cùm ſpeciali, §. porrò, nu. 6. de appell. Idem Abbas c. conſuluit, el 1. in fin. de appell. Navar. lib. 2. conſiliorum, tit. de appellat. in 1. edit. conſ. 2. n. 1. & n. 3. in 2. conſ. 1. n. 1. & 3. Quare concludunt Abbas eod. c. ad noſtram nu. 9. & ibi Francus nu. 3. & 4. ſive ad correctionem procedatur in judicio, ſive extra judicium ſive appelletur ante ſententiam, ſive poſt, eſſe neceſſarium exprimere in appellatione cauſam appellandi, nempe ſuperiorem excedere modum. Inſuper in impetratione litterarum talis appellationis oportet exprimere cauſam condemnationis, ne ſint ſubreptitiæ, quia ea expreſſa forſan Pontifex litteras denegaret; & ita tradunt Innocentius, & reliqui in locis citatis in eod. c. ad noſtram.

106 Dum autem dicimus in appellatione in caſibus interdictis, opus eſſe cauſam exprimere, non ita accipiendum eſt, quaſi expreſſio cauſæ ſit ita de appellationis ſubſtantia, ut ob id omninò vana ſit, nec cauſam devolvat ad ſuperiorem: ſed eſt neceſſarium, ut Judex a quo teneatur deferre appellationi, ejuſque juriſdictio ſuſpendatur; ea enim non expreſſa, poterit non obſtante appellatione ſententiam exequi. Ita docent Francus c. cum ſpeciali, §. ult. n. 6. de appell. & c. Romana §. ſi autem in fin. eod. tit. in 6. Felinus c. quo ad conſultationem n. 20. de ſent. & re judic. & ita Gloſ. eo c. Romana §. ſi autem verb. mandetur, & ibi Domin. eo §. fin. & Abb. c. conſuluit el 1. in fin. de appell. & Decius c. ad noſtram in nova edit. n. 29. eod. titulo, cautè tantum dixere, ejuſmodi cauſa non expreſſa minimè teneri Judicem admittere appellationem.

107 Sed ſupereſt diſcutiendum, quid ſentiendum ſit attentis religionum privilegiis, extant enim varia de hac re. Bonifacius VIII. ſtatuit non licere fratribus Franciſcanis a correctionibus Prælatorum ejuſdem ordinis aliquatenus appellare, ut refert Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium, verbo appellare n. 1. & Sixtus IV. conceſſit Auguſtinianis, & Carmelitanis, ut Generalis eorum poſſit ſuum munus obire, rejecta quavis appellatione ab ejus præceptis, monitionibus, ordinationibus, & mandatis, ac decretis, ut refert idem Sorbus ibi verbo Generalis, nu. 11. & 12. & Julius II. prohibuit ſub pena excommunicationis fratribus, & ſororibus ordinis Prædicatorum appellare a mandatis, & ordinationibus Prælatorum dicti ordinis, ut refert Sorbus ibi verbo, appellare, n. 3. & Paulus III. conceſſit Societati JESU, ut non liceat a correctione regulæ ſecundùm ordinationes ejus factæ appellare, nec poſſe per quemvis Judicem appellationem admitti, ut habetur in compendio privilegiorum Societatis JESU, verbo appellatio, §. 1. & ibi §. 2. habetur per privilegium conceſſum Canonicis Sancti Salvatoris, nullos è Societate JESU poſſe appellare ad quemcumque, etiam ad Pontificem niſi de ſpeciali ejus licentia, ab inſtitutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Congregationis Generalis, aut Præpoſiti Generalis, aut aliorum ſuperiorum, & appellationes, & inde ſequuta fore irrita, & eodem §. 2. refertur per privilegium Ciſtercienſibus conceſſum non licere appellare in Societate JESU ſub excommunicatione lata ipſi Pontifici reſervata, a reformationibus, ſeu correctionibus Præpoſiti Generalis, aut viſitatorum, quos ipſe deputaverit, niſi a Generali Congregatione, & in caſu denegatæ juſtitiæ, aut pro notoria injuria: & Sorbus eod. verb. appellare, in ſuis annotationibus circa §. 1. refert Gregorium XIII. in quodam motu proprio anno 1575. Quoniam noſtro Paſtorali, interdixiſſe ſub excommunicatione Pontifici reſervata, & aliis penis, fratribus Franciſcanis de obſervantia ad ſæcularia Tribunalia appellare, conceſſiſſe tamen eis appellationem ad Generalem, vel Protectorem, vel Pontificem. Atque ſimiliter refert, Congregationem Cardinalium edidiſſe decratum anno 1587. ut appellatio hoc ordine interponatur, a Guardiano ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Cardinalium Congregationem; & etiam refert hanc appellationem eſſe permiſſam a Sixto V. in motu proprio anno 1588. Ad Romanum ſpectat Pontificem.

108 Quæ quidem privilegia merito, ac jure optimo religionibus conceſſa ſunt, ac ab eis appellandi uſus exulavit, maximè ad externos Prælatos, ut ad Nuncium, & Pontificem, ut optimè inter cæteros docuit Sotus lib. 5. de juſt. q. 6. art. 3. colum. penult. verſ. at verò ſciſcitaris quem ſequuntur Cordub. qq. practic. c. 23. n. 6. verſ. 8. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 3. col. antepenult. & ibi Salon dub. 2. Sayro Clavis Regia lib. 12. c. 17. n. 41. & 42. Manuel de ord. judic. c. 13. n. ult. & qq. regul. tom. 1. q. 29. art. 3. Valent. 2. 2. diſp. 5.

diſp. 5. qu. 13. puncto 3. in fin. & Bannez eo art. 3. in fin. Et ratio eſt ob bonum, & tranquillitatem, ac honorem religionum, quæ in ſimplici quadam obedientia conſiſtunt, nec modicum hæc detrimentum patiuntur, quando religioſorum cauſæ extra privatos parietes tractantur, adjudiceſque externos deferuntur; nec creditu facilè eſt fore, ut omnes ſuperiores religioſi ita iniqui ſint, ut gravamen alicui illatum non auferant, & ſi aliquando, quod rariſſimè continget, id accideret, damno huic privato præponderat pax, ac commune totius religionis bonum, quod religioſi proprio privato anteponere debent, ſicut quilibet civis, etſi ad vitam adeò perfectam ac religioſi non teneatur, debet privatum ſuum bonum communi Reipublicæ poſtponere.

109 Sed difficultas, eſt qualiter intelligantur hæc privilegia, ac religionum conſtitutiones, nimirum an interdicant omninò religioſis appellationem: aliqui enim id videntur ſignificare. Dicunt enim religioſos per profeſſionem hoc appellandi jure in ſui favorem introducto ceſſiſſe, quod ad ſervandas conſtitutiones religionis ſe obligarint, quibus appellatio prohibetur. Quamvis enim jus naturale unicuique appellationem, qua ſe tueatur, concedat, cùm tamen eam non præcipiat, ſed ſolùm permittat, poſſunt religioſi huic juri renunciare; ſicut & jus matrimonii, & proprii habendi jure naturali permiſſa, non tamen præcepta, per profeſſionem à ſe abdicarunt, nec hoc Pontificum auctoritati adverſatur denegata facultate ad ipſos appellandi: nam ipſi quoque tranquillitati religionum proſpicientes, juri huic ceſſerunt, approbantes religionum conſtitutiones, illiſque privilegia concedentes appellationem hanc interdicentia. Ita docent Bannez, & Salon num. præcedenti allegati, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tract. 8. cap. 24. immediatè ante 8. concluſionem, fol. 778. Sed hoc non exhaurit difficultatem; quamvis enim fatendum ſit, religioſos quodammodo ceſſiſſe huic juri, nimirum quatenus prædictæ religionis conſtitutiones, & privilegia jus appellandi religioſis auferunt: at ſupereſt explicandum, qualiter jus hoc per illa ablatum ſit, nimirum, an in univerſum, an potiùs in aliquo peculiari caſu; & ideo Sotus, & Valentia num. præcedenti allegati conceſſere ad Pontificem poſſe appellari, & Aragon, Sayro, Manuel utroque loco relati eodem numero præcedenti in ſolis cauſis levibus denegant hanc appellationem, eam permittentes in cauſis gravibus, & omnes prædicti DD. ſolam appellationem ad Prælatos externos videntur reprobare: neque enim religionum decus, ac tranquillitas tantum detrimenti patitur cauſis ad ejuſdem religionis ſuperiores delatis. Immò, ut retulimus, num. 107. in fin. appellatio hæc ad ſuperiores ejuſdem ordinis religioſis permiſſa eſt, ac ipſis non auferentibus gravamen, ad ſuperiores externos. Quare non intelligo quod ait Sylveſt. verb. appellatio, quæſt. 7. num. 9. ubi poſtquam dixit, integrum eſſe religioſis appellare, ſi in correctione modus excedatur; id limitavit dicens, non appellandum ad Prælatos intra ordinem, ſed extra, quando conſtitutiones à Pontifice approbatæ appellationem interdicunt. Hoc, inquam, non intelligo, quia multò majus damnum religioni ſequitur cauſis ipſius extra religionem deductis; quare conſtitutiones hoc potiùs interdixere, ut ex DD. allegatis conſtat.

110 Quare dicendum eſt, ea privilegia, & conſtitutiones denegantia religioſis appellationem, intelligenda eſſe eo modo, quo jus commune eam denegans intelligendum eſſe diximus, num. 102. nempe, quando Prælati religionum corrigentes, aut punientes religioſum non excedunt limites religioſæ diſciplinæ, tunc enim minimè gravant: ſecus quando gravant, eos limites prætergrediendo. Ratio eſt, quia eodem tenore, eademque verborum forma, eademque vitandæ religionum perturbationis ratione jus commune, & conſtitutiones, privilegiaque appellationem hanc interdixerunt: Nil ergo mirum ſi eodem modo intelligenda eſſe dicamus. Atque ita docent Navarr. commentar. 3. de regularib. num. 51. ad 1. & lib. 2. conſilior. tit. de appellat. in utraque edit. conſ. 4. nu. 5. Azor. lib. 12. Inſtit. Moral. c. 11. q. 8. Manuel qq. regul. tomo 1. qu. 29. art. 2. Sayro Clavis Regia lib. 12. c. 17. num. 38. Sed contra hoc fortiter obſtare videtur, quod privilegia in dubio aliquid ultra jus commune operari debeant c. Abbate, de verb. ſignificat. Sed facilè poſſet reſponderi, id quidem regulare eſſe, aliquando tamen nihil novum continere: ſed majoris expreſſionis gratia concedi, ut probavimus lib. 2. de matrim. diſp. 37. num. ultim. ad ultimum. Quamvis autem ſolutio hæc planè ſatisfacere videatur; at exiſtimo aliquid amplius continere privilegia hæc, & conſtitutiones: nam attento jure communi, non ſolùm conceditur appellatio, quando gravamen eſt certum, ſed etiam quando eſt dubium: & ſolùm denegatur, quando apertè conſtat nullum eſſe gravamen, ut conſtat ex c. cùm ſpeciali §. porrò, de appellat. & ibi tradunt DD. ex Sylveſtro verb. appellatio q. 12. num. 13. At privilegia religionum, ipſarumque conſtitutiones à Pontifice approbatas, dum religioſis appellare interdicunt; hoc amplius continere credo, nempe ut ipſis appellare non permittatur, nec ea appellatio ſuſpendat jus, quando exceſſus Prælatorum manifeſtus non fuerit; hoc enim pax, ſimplicitas, & obedientia religioſorum poſtulat: quæ bona dicta privilegia, & conſtitutiones ſpectant. Quando autem non eſt locus appellationi, poteſt ille religioſus cauſa querelæ ad ſuperiorem accedere, ut benè docet Navarr. lib. 2. conſilior. in 1. edit. tit. de ſenten. & re judic. conſ. 2. num. 8. in 2. tit. de appell. conſ. 5. num. 8. Manuel de ordin. judic. c. 13. nu. 4. & qq. regular. tom. 1. q. 29. art. 2. Sayr. lib. 12. Clavis Regia c. 17. nu. 38. in fine. At hæc querela non ſuſpendit juriſdictionem Prælati inferioris, donec inhibeatur.

111 Demum ſupereſt tractandum de facultate recuſandi Prælatos regulares. Eos enim non poſſe recuſari, tradunt Gloſ. fin. c. ad noſtram, de appellat. & ibi Hoſtienſ. num. 9. per c. cum ſpecialis, in fin. eod. tit. ubi cùm duo ſtatuiſſet ille textus, nempe qualiter Judex recuſari, & ab eo appellari poſſet, ſubjunxit: hæc Cæterùm has duas conſtitutiones præmiſſas nolumus ad regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſervantias. Ubi Innocent. num. penult. Joan. Andr. in fin. Abbas in fine Præpoſitus in fine Alex. de Nevo in fine dicunt per illud pronomen (has) relationem fieri ad proximas conſtitutiones, nempe de appellatione, & recuſatione. Idem conſtat ex c. ſuper eo, el 2. eod. tit. ibi Ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliqualiter deferendum. Cùm ergo conſtitutiones religionis, & privilegia denegent religioſis appellationem; denegabunt ſubinde recuſationem. At dicendum eſt, in hoc æquiparari recuſationem, & appellationem, ut neutra abſque cauſa liceat: & conſtitutio illa edita d. c. cum ſpeciali, non extenditur ad regulares, quatenus extenſio impediret eorum correctionem juxta regularia inſtituta. Quare quando ſuperior valde ſuſpectus crederetur, exceſſuruſque ob paſſionem, poſſet recuſari; ſicut in hoc caſu poteſt ab eo appellari, ut diximus num. præcedenti. Et ita docent Hoſtienſis eo c. cum ſpeciali, nu. ult. verb. extendi, & ibi Joan. Andr. num. 18. Antonius in fine Bellamer. num. 14. Abbas ibi §. porrò num. 3. Alexand. de Nevo eod. §. num. 8. Præpoſitus in fine Francus, num. 4. Hoc autem temperant Hoſtienſis, Joan. Andr. Anton. Bellamer. Franc. ibidem, quando proceſſus Prælati eſſet extra judicium: nam quando judicialiter procederet, liceret ſemper ipſum recuſare, eodem modo quo ſæcularibus id licet: ſicut idem ſentiunt de appellatione, ut retulimus, num. 103. At ſicut ibi limitationem hanc in appellatione reprobavimus, dicentes idem ſentiendum eſſe de utroque proceſſu, ſimiliter reprobamus in recuſatione, dicentes omninò idem utrovis modo procedat Prælatus: & ita docent Abb. Alex. de Nevo, & Præpoſitus ibidem. At ſicut numero præcedenti in fine diximus, appellationem non concedi religioſis, niſi quando manifeſtus eſt Prælati exceſſus: ita nec recuſatio concedenda eſt, niſi quando manifeſta eſt cauſa ſuſpicionis Prælati, cùm textus d. c. ſuper eo æquiparet recuſationem, & appellationem, & utraque tranquillitati religionis æquè adverſetur.

CAPUT IX.

De religioſis à religione ejectis, ad quid obligentur, & quæ poteſtas ſit Prælatis regularibus in illos.

SUMMARIUM.

Quotuplex quæſtio diſputanda ſit, num. 1.
An profeſſi poſſint expelli à religione? refertur quædam ſententia, num. 2.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 3.
Quando religioſus dicatur incorrigibilis, num. 4.
An ſoli incorrigibiles poſſint expelli? num. 5.
An moniales etiam poſſint expelli a monaſterio? num. 6.
An religio expellens profeſſum abſque juſta cauſa, peccet contra juſtitiam? num. 7.
An profeſſus hic poſſit compellere monaſterium, ut ipſum admittat & alat, expenſaſque ad lites neceſſarias contribuat, & an requiratur ad id poſſeſſio monachatus? num. 8.
An monachum alens poſſit petere a monaſterio alimenta? nu. 9.
An monachus poſſit agere in judicio ad id? num. 10.

1 PRius diſputandum eſt de ejectis ab aliis religionibus, dempta Societate JESU, & de jure expellendi eis inhærenti; deinde de ejectis à Societate JESU: & ideo quadruplex eſt quæſtio diſputanda. Prior eſt de facultate omnium religionum expellendi ſuos religioſos, & de actione religioſorum ad reclamandum contra ipſam religionem. Secunda, an religio retineat juriſdictionem aliquam in expulſos, teneaturque eos, & apoſtatas, fugitivoſque quærere, atque revocare? Tertià, an religioſi profeſſi expulſi maneant liberi à votis, & ab obſervantiis regularibus, vel an poſſint cogi ad redeundum ad religionem, vel ad tranſeundum ad aliam? Ultima quæſtio erit de jure, quod habet Societas JESU ad expellendos religioſos, & de actione ipſorum, ſi injuſtè expellantur, & qualiter votis obligati maneant.

2 Quæſtio prima. An religio jus habeat expellendi religioſos, atque ſic actionem reclamandi habeant, quando cauſa legitima expelluntur? Quidam ſentiunt, ob nullum crimen poſſe profeſſum expelli, ſed quando contumax, & incorrigibilis eſt, eſſe in monaſterii carcerem includendum. Ducuntur ex cap. impudicas, & cap. ſi quis ſacro 27. quæſt. 1. ubi moniales impudicæ jubentur à cæterarum conſortio exclu-